



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R. P. Christophori de Ortega Sanclementini, E' Societate
Iesv. Qvondam in Provincia Toletana Theologiæ
Scholasticæ publici Professoris ... Tractatvs Dvo, De
Trinitate, Nec non, Incarnatione**

**Ortega, Cristóbal de
Lugduni, 1664**

Dispytatio IX. De Personarum constitutione, ac distinctione.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94251](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94251)

communium identitatem realem eorum cum personis, ac personalitatibus demonstrari, realemque Dei simplicitatem, quae praedicationem eorum in concreto non demonstratur; ut patet ex dictis de Gilberto Porretano, qui suam realem distinctionem cum praedicatione communium in concreto de concretis personalibus bene componebat. Neque de formali identitate personalium, & communium, quam haeretici, quos impugnabant, ne somniantur quidem, Patres curarunt: imò eam negarunt locis citatis quae 3. cert. 1. à n. 2. Athanas. quantumvis specificatiue signat Patrem, essentiam non excludit: quia, ut dicebam disp. 7. q. 3. cert. 3. n. 3. nūquam ita specificari reduplicatiuis paternitas potest, ut à subiecto denudetur, quod est in casu hoc essentia diuina: Solum ergo contendit Athanas. nihil perfectionis Patri soli deficere, quae in tota Trinitate sit: quia essentiam habet, quae tota, ac integra bonitas est in diuinis, ut d. 6. q. 3. cert. 4. & 5. monstrauimus.

4 Obijcies rursus. Persona essentialiter claudit essentiam: aut personalitas est persona: ergo personalitas essentialiter claudit essentiam. Distinguo minorem. Realius identice est persona concedo; formaliter, & essentialiter nego. & nego consequentiam. Instas: maioris perfectionis est Deitatem includere, quam excludere: atqui personalitas adhuc formaliter est summè perfecta: ergo etiam formaliter sumpta includit Deitatem. Distinguo, identice concedo; formaliter nego; quia est implicatio: nimirum: vnam formalitatem esse aliam: verbi gr. formalitatem animalis esse formalitatem rationalis; quod non minus implicat formaliter, quam duas realitates esse realiter eandem. Ad perfectionem ergo diuina simplicitatis non expectat inclusio vnius formalitatis in alia formaliter: cum sit implicatoria inclusio, & ex qua contra obiectantes inferatur personalitates, etiam in essentia formaliter includi. Deinde nego minorem: personalitatem scilicet formaliter sumpta esse perfectam. Ostendi enim disputatione 3. q. 3. cert. 5. formaliter non esse perfectionem, neque illam habere, sed solum identice ratione essentiae, cui identificatur. Instas secundo: commune, & vniuersale essentialiter includitur in particulari: atqui essentia est commune, ac personalitates particularia: ergo includitur essentialiter in illis. Formaliter loquendo nego minorem. Personalitas enim formaliter est particularizans, siue singularizans, personae sunt particularia: ac proinde in his solum clauditur essentia.

5 Denique pro inclusione personalitatis in essentia aliqua ex dictis obijci possent eodem modo diluenda. Argues ex infinitate essentiae, quae omnem formalitatem diuinam essentialiter debet includere. Sed hoc nego; quaevis enim diuina formalitas, siue essentialis, siue personalis, siue attributalis omnem sui generis formalitatem debet continere, non alterius, ut infinita summè sit: ut constat ex dictis disp. 3. q. 2. à cert. 3. Obijcies ex Patribus Athanasium serm. 4. contra Arrian. in haec verba: *Proprietatem Patris ipsam essentiam Filij constituere.* Sunt Athanasij verba sed decurtata: praecedunt enim immediate: *Quoniam Filius est imago Patris necessum est, ut cogites Deitatem.* & *Proprietatem, &c.* nomine autem *Proprietatis, Patris,* non personalitatem, sed Deitatem intelligit, quam col. antecedenti *suitatem & proprietatem,* vocauit: propriaque Patris merito dicitur, quia eam de suo habet, aliusque communicat. Denique oppones Dionys. 2. de diuin. nom. dicentem: *Omnia, quae Deo digna sunt sine diuisione, aut diuisionis observatione integre omni integritati perfecta, totique diuinitati tribui.* Quare, & personalitates, quae Deo dignae sunt tribui debent. Respondeo identice verum esse, & sensum Dionysij; cum identice sit omnes personae: ac proinde habet nominis collectiui proprietatem, sumique possit pro tota collectione personarum, ut sapienter notat S. Thom. 1. p. q. 39. art. 5. licet à sola vnitate collectionis Ioachimi Abbatis oporteat Catholicos summo studio cauere.



DISPUTATIO IX.

DE PERSONARVM
constitutione, ac distinctione.

OSTENDAM exactam adaequatam distinctionem formalem inter personalitates, & essentiam disputat onem ad peculiarem eorum constitutionem, & distinctionem examinandam via est proliuis: idcirco iam ad constitutiua, ac distinctiua personarum statuenda facimus gradum. Vbi celebre illud: an si Spiritus Sanctus non procederet à Filio distingueretur realiter ab illo vili sensu, & disputabimus, & statuemus.



QVÆSTIO I.

Absolutis-ne? an relatiuis Persona
constituuntur?



DE vltimo & peculiari cuiusque personae constitutiua quaestio procedit. Nam essentia omnibus communi, quaeque absolutum quid est, personas constare, quare, & constitui dogma Catholicum est, & quod, ne haeretici quidem, qui tres personas vnum Deum admittunt, negare tentauerint. Sed neque est quaestio de Personarum constitutione quatenus vicitatis earum nominibus Patris, Filij, &c. siue quatenus Pater, & Filius formaliter significantur, & sunt: ut sic enim relationibus constitui dubium esse non potest. Solum ergo disputatur de primaria Personarum Trinitatis constitutione, qua primum vnique quae haec singularis, & atomica persona intelligatur, cui aliam personam esse repugnet.

CERTAMEN I.

Scholasticorum opiniones.

RES haec teste nostro Vasquez, diu, multumque Scholasticorum torfit ingenia: verum non lura, ut ipse putat, difficultate, sed ex falso plurimum praedictio: cum quo, & veritas, & bona Philosophia non constans in mille difficultatum salebras disputantium ingenia egit, impulit, iactauit. Praepositius, & Aureol. recitati disp. 8. q. 1. cert. 1. cum personalitates, quae specialia personarum sola esse possent, ratione etiam ab essentia diuersas negarent, constitutionem, de qua disputamus consequenter inficiabantur. Et sique in re consentiant quotquot mutuum inclusionem formalem personalitatis, & essentiae asseruerunt recitati d. 8. cert. 1. n. 1. Nam in re, formalem etiam personalitatis, & essentiae negant distinctionem, quam verbo fatebantur, ut vidimus ibi n. 3. & 4. Re etiam ipsa praepositio assentiuntur qui personalitates in essentia formaliter, licet non mutuo, claudi defendunt: cum enim in toto, integro essentiali conceptu essentiae personae conueniant, in personalitatibus conuenient: quare nihil in eis erit, quo specialiter constituantur, ac distinguantur. Quare & implicabit constitutio. Verum cum ex negatione

gatione specialis personarum constitutionis plura Patrum, & Conciliorum de personarum constitutione irideantur testimonia: & quod maius est, realis personarum distinctio, ac proinde totum Trinitatis mysterium evertatur: nemo est, qui eam negare in terminis audeat, quin in Propositiui sententiam exhibendam Scholastici omnes conspirant.

2. Supposita ergo Catholica personarum constitutione Marfil. in 1. q. 30. art. 3. ad 1. & 2. art. 4. ad 13. Argentina disp. 17. q. vnic. art. 3. Capreol. q. 1. art. 1. concl. 4. se referens ad dicta dist. 26. q. 1. art. 1. concl. 4. Alex. 1. p. q. 90. memb. 3. corp. & ad 1. Beccan. de Trinit. cap. 3. q. 12. Ruiz disput. 89. & 90. Alarcon disp. 4. cap. 6. Martin. Perez disput. 9. sect. 3. docent personas relationibus predicamentibus Paternitatis, Filiationis, &c. constitui. His ferè adfentitur Molina 1. p. q. 40. art. 2. disp. 2. tantum discrepans, quod relationes predicamentales idem formaliter, quod processiones existimet, v. g. Paternitatem idem esse, quod generationem. Nec multum discrepat secunda eorum sententia, qui censent relationibus predicamentibus non quidem sub conceptu relationum, sed originum constitui personas, ita sentire visus aliquibus est S. Thom. 1. p. q. 40. art. 4. cor. p. q. 28. art. 1. ad 4. (ubi Caiet.) 4. contra Genes cap. 14. ad 8. atque ibi Ferrara col. 3. Aureol. in 1. dist. 17. p. 1. art. 34. In his autem reprehendere non omitam, quod sono Conciliorum, ac Patrum de constitutione per relationes exterriti in conclusione illis non penitus consonent, atque difficultatem, qua à Patrum, vt putant, sententia dixerunt, non effugiant, vt cert. 2. constabit.

3. Tertia sententia fuit Henrici 2. p. summ. art. 58. q. 4. asserentis Personarum constitutum esse quidem relationes, vt sonare Patres dicuntur, non autem predicamentale, v. g. Paternitatis, Filiationis, &c. sed transcendentales principij foccundi. Cum Henrico sensit Alex. 1. p. q. 48. memb. 4. art. 3. s. Tertio queritur. Vbi asserit rationem constitutum Patris esse veluti potentiam materij, vel actum formæ, quarum quævis altera alterius respectiva transcendentaliter est. Neque alia fortasse fuit mens Doctorum quæ sententia iam recitanda: Solum enim fortasse contenderunt assignare constitutum Personarum ante relationes predicamentales, Paternitatis, &c. & ante originis difficultatis metu: id quod constitutione per relatiua transcendentaliter assequantur. In hac sententia reprehendendum censeo, quod in prima. Nam Patrum sonus de constitutione per relatiua predicamentali est, Paternitatem, &c. ac difficultas, cuius timore Patrum sonum deserunt, in relationibus transcendentalibus vim suam etiam habet.

4. Quarta sententia docet Personas relationibus Paternitatis, &c. constitui: non quidem sub conceptu relationis, aut originis, sed secundum conceptum ipsi priorum, & absolutum, quem non satis explicant in transcendentaliter etiam absolutus sit, an solum predicamentali: vt aiunt verò adæquatè identificari cum prædictis relationibus, vt Patres intelligant in sensu identico locutos, dum Paternitate, Filiatione, &c. personas constitui aiunt. Ita S. Thom. q. 40. art. 2. & 4. de potentia q. 10. artic. 3. in 1. d. 13. q. 1. art. 2. vbi Capreol. Valq. d. 159. c. 5. Soar. 7. de Trinit. c. 7. Granad. tract. 11. d. 3. sect. 1. Zuniga d. 15. m. 4. & 5. Gaspar Hurtad. d. 4. dist. 4. s. Tertio personam Patris. Recentiores Complutenfes d. vlt. Canar. 1. p. q. 40. art. 4. p. 3. col. penult. docuerant id ipsum ex antiquis Albertus 1. p. q. 34. mem. 1. Vdalricus, ac Petrus Tarantasia apud Carthusian. in 3. d. 27. q. 2. vbi, & ipse, atque ex Doctoribus primæ sententia in hanc tandem videntur venisse Alexandr. citatus, Capreol. in 1. d. 26. q. 1. art. 3. versu: *Ad primum eorum quæ tertio loco inducuntur.* Caietan. 1. p. q. 40. art. 4. vers. fin. q. 42. art. 3. s. *Ad euentiam.* Ferrara 4. contr. g. c. 26. Ruiz. d. 91. s. 2. à concl. 2. Tanner. d. 4. q. 3. dub. 6. Porro Thomistæ pro hac opinione citati sic eam, quasi ex vno ore, statuunt: vt Personæ constituantur primariò relatione secundum esse in: secundariò secundum rationem originis: tertio, & vltimò secundum esse ad, quod est formalissimè relatiuum, seu relatio. Sed nescio, quid præsent reliquæ à primaria constitutione ad præsentem q. hanc enim solam querimus.

5. Quinta sententia asserit Personas absolutis prorsus proprietatibus suis vnamquamque constitui; licet ad proprietatum multiplicationem origines requirat. Ita Guilielmus Parisiensis tract. de Trinitate. recitatus à Carthus. in 1. d. 209. q. 2. post med. Ioannes de Ripa citatus ad marginem Scoti ibidem q. 1. s. *Tertia opinio.* Vbi & Scotus ipse valdè, vt minimum, in eandem sententiam propendit: imò & defendit teste omni exceptione maiore nostro Salmerone tom. 2. in Euiang. tract. 12. pag. 155. colum. 1. sub init. vbi ait referri etiam Scoti marginem pro hac opinione Okam. & S. Bonaventuram. Refertque Salmeron ipse pro illa Linconensem, & Lichetum. Eam autem Bannes *heresim* appellat. 1. p. q. 40. Carthusian. proxime, s. penult. *errores*, contentationibus Canariensium, Zumele, & Recentioribus aliis, 1. p. q. 40. Ruiz d. 87. sect. 1. n. 5. *errori proximam.* Martin. Perez, *temerariam.* Soar. 7. de Trinit. cap. 5. *improbabilem, & contrariam sensui Theologorum.* Valq. d. 158. c. 3. quo ad constitutionem nullam censuram mereri ait; quo ad distinctionem lapsos eius auctores videri. Censuratum metu Gaspar Hurtado loco relato pro tertia sententia s. vltimo, ne cum ipsis sentire, & damnari videretur, valdè Guilielmi, & Ripæ sententiam à sua discordare contendit: quia hi proprietates absolutas Personarum constitutivas non identificabant cum relationibus, vt ipse identificat, sed ex natura rei ab eis distinguebant cum Scotistis; quare nec Patres, sicut ipse, poterant explicare dum relationibus constitui Personas aiunt: atque insuper, inquit, proprietates absolutas cum essentia identificare adæquatè videbantur.

6. Cæterum Guilielmum, & Ripam non identificasse adæquatè absolutas proprietates Personarum constitutivas cum essentia certum mihi est: cum asserant expressè originibus multiplicari: quæ autem originibus multiplicantur, nullius opinione, cum essentia identificantur adæquatè. Secundo cum eas proprietates personales appellent, ac personarum singularium constitutivas: quomodo adæquatè identificent essentia, atque faciant omnibus Personis communes? Tertio, si Scotistis in distinctione ex natura rei consentiunt, vt vult Hurtado, testis que est Salmeron ipsis ea de re succensens, atque hæc præcipuè inter proprietates personales, & essentiam ab illis statuatur: quomodo eas ex natura rei ab essentia non distinguant? Illud circa Guilielmi, & Ripæ mentem Gaspari Hurtado libenter dabimus: absolutas illas proprietates Personarum constitutivas non identificasse cum relationibus: quia has, vel originibus realiter formaliter identificabant, sicut hoster Molina, vel potius in aggregato Personæ producentis, & procedentis, & processio nis; ac quidquid his superadditum pro relationibus à nonnullis ponitur mærum rationis figmentum existimat, vt ex ipsis referebamus, docebamusque d. 7. q. 3. cert. 1. n. 1. & cert. 2. n. 4. Quod autem iidem asserunt ad proprietatum multiplicationem necessarias origines, non ideo est, quod his identificentur, eivse distinguantur Personæ; contra ea, quæ dixerant: sed quod proprietates sine originibus esse nequeant. Cum earum aliquot productæ sint, aliæ verò potentias notionales constituant determinatas omnino ad operandum, necessariòque prosequenti signo originis, & quasi natura operatas, quæque sine processio nibus, & originibus esse non possint.

7. Hæc de Guilielmi, & Ripæ mente satis. Quoad censuras attinet, si testimoniis Conciliorum, & Patrum, quibus nituntur, stādum sit, cum hæc de constitutione, ac distinctione Personarum per relationes predicamentales sonent, quinta huic sententia stare statim facile monstrabimus; dum, & eam statuimus, & aliarum fundamenta confutabimus, præsertim à cert. 3. Nec video qua fronte ab erudito Theologo censura improbabilitatis ei opinioni iniuri queat, quam docuerunt Scotus, & apud ipsum Ioannes de Ripa, Okamus, & S. Bonaventur. atque apud Carthusianum Guilielmus Parisiensis, apud Salmeronem Liconensem, & Lichetum septem nimirum Illustres Doctores

res rem ex instituto disputantes: præter eos, qui aliud intendentes in eam ipsam tandem venisse notabamus, in quibus Gaspar Hurtado cum pluribus. Idcirco Valquez quoad constitutionem per absolutas proprietates nihil censura dignum admitti aiebat, sed neque quoad Personarum distinctionem per eandem (Quod totum nostra sententiæ erit) noster censet Salmeiron, si quis alius in re Theologica, & Scripturaria, atque eruditione sacra præstantissimus tom. 2. in Euang pag. 157. col. 2. sine; vbi postquam constitutionem distinctionemque personarum per absolutas proprietates solidè, & fundauerat, & defenderat, ait: *Et ec mihi probabiliter edissera sint pro hac sententiâ: quam, non ignoro à quibusdam falsitatu, & erroris nota inuiri. Ego tamen, ut prorem Thomæ opinionem admodum probabiliorè amplector, ita in posteriori damnanda non ita rigide ageam, ut quidam faciunt. Præsertim, cum hanc sententiâ amplectati sint præclari quidam, & illustres ex Doctoribus Scholasticis.* Quibus licet communiore tunc Doctrinæ morem gerat, si tamen totus hac de re attentè legatur, non solum probabilis, sed, & probatior ipsi nostra hæc sententiâ deprehendetur: ait enim pag. 155. col. 2. sub init. *Neminem ex illis esse, qui pro alia primâ peristere, qui non asserat Doctrinam inexplícabiles, & mentis captum fugientes.* Atque ut minimum, probabilem esse hanc sententiâ docet; dum probabiliorè docet aduersam, atque à nota falsitatis, qua etiam iniuri ab aliquibus retulerat, manifestè vindicat verbis recitatis, probabiliterque pro illa disertum à se esse testetur. De eius autem opinionis, ut hic à nobis proponitur atque defenditur probabilitate consentiunt doctissimi Patres. Augustinus de Castro Regius Concionator, atque in supremo Inquisitionum Senatû à fidei censuris. Petrus Diuero Regius etiam concionator. Emanuel Pardo, Franciscus Ruiz, Iosep. Spuchef, Didacus Tello, Lucas Quadin. Ioannes de Valençuela Scholasticæ Theologiæ Professores emeriti. Actuales verò eiusdem Theologiæ Professores Patres Andreas Mendo Salmantinus, Gaspar de Ribadeneira, & Matheus de Moya Complutenses. Iosephus de Villa-maior, & Iosephus Quarmino Toletani, fideique censores, qui omnes nulla Theologica censura, dignam, ac valdè probabilem nostram hanc sententiâ iudicauerunt. Addidit Sebastianus, qui erdò emeritus Scholasticæ etiam Theologiæ Professor, Primariûque in Regiis nostris Matritensibus Scholis Magister, atque à supremi inquisitionis Senatû censuris eam sententiâ esse omninò veram. Docta horum omnium originalia iudicia apud me habeo.

CERTAMEN II.

Relationibus prædicamentibus, vel transcendentalibus non constituuntur diuina Personæ.

DVplex conclusio vno titulo probanda præfigitur. In prima de relationibus prædicamentibus conueniunt serè omnes Theologi, si lex, ut summum, ex antiquis excipias, qui pro prima sententiâ perstiterunt. Secunda octo, vel decem exceptis reliquos habet aduersos. Vtrâque verò testimoniis Patrum, qui per absolutas proprietates Personas constituunt, quæ dabimus cert. 3. probare possemus. Sed nunc negatiuas solum conclusiones probare animus est ab absurdis, & specialibus; cuique earum argumētis. Vtrâque verò probatur auctoritate, & argumento August. 7. de Trinit. sub init. vbi ait: *Non enim aliud est Deo esse aliud Personam esse: nam si esse ad se dicitur, persona verò relatiuè. Sicut vicinus, & propinquus, inferretur, inquit, Patrem Personam esse Filij, aut Filium Personam esse Patris. Quod absurdissimum est; sicque impugnum statim ab Augustino. Sed neque Persona ita dici alicubi solet; neque in hac Trinitate, cum dicimus Personam Patris, aliud dicimus, quam substantiam Patris. Aliâque adnectit, quæ constitutionem Personarum per absoluta expressè tradunt, subiicienda proinde à nobis cert. 3. vbi*

eam conclusionem in terminis stabiliemus. Sic autem instruenda ad Scholas erit ratio Augustini. Quidquid formaliter relatiuum est dicitur esse sui termini: sic vicinus, & propinquus, & Pater Petri, v. gr. Pater, & vicinus Petri dicitur: atque intranscendentaliter etiam relatis potentia, & actio productiua caloris potentia, & actio caloris productiua dicitur: atqui Persona hæc, & personalitas atoma Patris diuini per aduersarios relatiua formaliter est, siue prædicamentaliter, siue transcendentaliter ad Filium, & è contra: ergo dicenda erit Persona hæc, & personalitas Patris persona, & personalitas Filij. Hoc autem, & absurdum, & erroneum est. Ergo, & constitui Personas diuinas per relatiua alterviro modo.

2 Ratione probatur de relationibus prædicamentibus conclusio. Quia ut vidimus d. 7. q. 3. cert. 1. n. 1. relationes prædicamentales, in diuinis etiam, in aggregato productis, & processionis consistit realiter formaliter loquendo: ergo quævis Persona singularis diuina est pars suæ relationis: ergo supponitur in se atomè, & singulariter constituta ante relationem suam. Patet: nam pars quævis natura sua præcedit, ac supponitur ad totum, quod constituit: ergo non constituitur relatione: quidquid enim prius constitutum est, nequit posteriori constitui. Probatur secundò efficacius, etiam contra constituentes per processionem. Ante relationem formalem realem paternitatis, atque ante generationem, & sic de aliis, intelligitur Persona Patris distincta singulariter re ipsa à Filio: ergo, & in ratione Personæ huius atoma constituta. Nihil enim distinctum singulariter ab alio esse, concipere potest, quin intelligatur in se singulariter constitutum: ergo nequit Persona Patris in ratione personæ huius singularis, & atomæ constitui paternitate, aut generatione, ut nuper arguebam. Antecedens primùm probò. Ante paternitatem, & generationem intelligitur persona Patris realiter formaliter potens elicitive generare Filium, siue principium reale formale generatiuum Filij per omnes Theologos, qui contra Aureolum potentias notionales reales formaliter à processionibus diuersas nobiscum in diuinis d. 4. q. 2. cert. 2. vbi affirmat eum futurum esse, fatentur: at nequit intelligi principium reale formale generatiuum Filij, quin intelligatur ex parte sua distinctum singulariter à Filio: ergo ante paternitatem, & processionem intelligitur Persona Patris singulariter distincta ex parte sua à Filio. Minor est certa. Nihil enim potest esse principium, & potentia actiua realis formalis sui ipsius: imò vero, quia nihil sui ipsius causa physica esse potest, ac proinde causa in actu primo necessario distingui ab effectu debet, personæ producentes à procedentibus distinguuntur Patrum argumento, & sententiâ communi.

3 Respondet Ruiz sæpè à disp. 87. præsertim 91. sect. 2. Personam Patris non esse completè constitutam ante generationem, & relationem. Sed quare inquam? an quia nondum formaliter Pater? Sed nos non inquirimus, nec volumus constitutum Personæ Patris in ratione Patris, quod relatiuum esse non dubitamus, absolutam proprietatem esse: sed in ratione huius singularis Personæ, & atomæ, in qua singularitate quantumvis indiuisibili, & gracili, qua ab alia Persona hæc ita distinguatur, ut esse alia non possit, stat adæquatè huius atoma Personæ, ut realis adæquata constitutio: cum alio non egeat, ut à reliquis distinguatur. Se unquò: si de ratione principij est distinctio realis à principio producendo ut re vera est, de conceptu adæquatè saltem principij productiui, quale est Persona Patris ante generationem, & paternitatem respectu Filij, erit adæquata distinctio: quare, & in sua singulari Persona adæquata constitutio. Tertio: quia, ut sæpe monui, nullius formalitatis diuinæ dari potest conceptus inadæquatus, & incompletus: cum quævis, qua diuina formaliter, è suo formali, & indiuisibili conceptu infinita simpliciter esse debeat per denegationem termini, etiam extrinseci: quare & ultra illam aliquid generis illius diuinum esse repugnabit. Sed dices illud incompletè, & inadæquatè intelligi debere ex parte personalitatis, quæ indiuisibili

indivisibiliter est formalitas ad se, scilicet Personam suam, & hypostasim, & ad aliud, seu relatiua ad personam producendam. Sed hoc est etiam argumento præclusum: cum nullo respectu ad aliud cogitatur, imo, & ante illum intelligatur Persona Patris principium productiuum Filij, atque ab eo distinctum, & in se constituta. Quod autem cognoscitur expressè non cognito alio, vel cognito confusè solum (vt à quæstione de præcisionibus formalibus, vel obiectiuis Logica, in re tanta abstrahamus) diuersum formaliter ab alio est; nec idem formaliter indivisibiliter cum illo. Præterea conceptus absolutos formaliter indivisibiliter cum relatiuis identificare in diuinis non licet, cum plura genera differant; atque in absolutis etiam formalitatibus alias ab aliis formaliter diuidamus. Licet genere conueniant. Si autem relatiuas, & absolutas formalitates personales confundere fas sit, cur non, & has omnes cum essentiali ac si constitutionem Personarum abolere? denique formalitatis indivisibilis cognitio confusa esse non potest: tota enim, vel nihil illius, concipienda est, si formaliter indivisibilis est, vt de se patet.

4 Contra Aureolum verò, & sequaces agendum pro hac conclusione inde in primis erit quod potentiam productiuam in actu primo debeant in Personis productiuibus recognoscere, vt citata d. 4. q. 2. cert. 2. contra ipsos euincemus. Secundo: quia licet potentiam physicam notionalem ex communi, & proprietate personali non consent, tamen sic consent actiuas processionis, quas ex æquo à communibus non diuidunt: in his autem eadem vi inferunt processionis, constituta quidem esse, non autem esse constituentes proprietates personales, constituit processionibus, & relationibus prædicamentalis proinde priores. Tertio, quia, vt tandem Aureolus Recentiores Complutenfes fatentur, processio actiua, & passiuæ idem formaliter sunt: sunt enim actio, & passio purè grammaticales, non physice: cum processio non siteductio (quamquam, & hoc etiam formaliter melior philosophia identificat) ac proinde nihil magis formaliter differunt, quam amare, & amari: voce nimirum tenus. Hinc Aureolis præfati cum termino scilicet, siue persona procedente solum processionem quamque identificant, & actiuam, & passiuam: quid ergo erit re ipsa in Patre, quo, & in se constituitur, & distinguitur à Filio, quod relatio, aut processio ipsam formaliter antecedens sit? Certè Patris persona solum erit generatiuum principium realiter formaliter utriusque processus: quare, & quod nulla ex eis constituitur. Si dicas duplicem esse processionem actiuam, & passiuam, alteram, qua persona procedens constituitur, alteram, qua constituitur persona producens: quia hoc speciale est in Trinitatis Personis: certè plura, quam Trinitas in Scriptura, & Patribus de se reuelauerit, statuit de illa solutio, præter, vel contra bonam Philosophiam. Mihi verò in eo maxime insudandum videtur, vt, quæ de tanto mysterio creduntur ad bonam, facilioremque Philosophiam componantur: nec discursus super his Scholastici credendi, etiam sine reuelatione, sint. Hæc igitur de Trinitate reuelata sunt esse personas procedentes, & producentes in sese distinctas. Cum hoc autem fiat melior Philosophia, & facilius, quod vniuersa processio actiua, & passiuæ sit, (siue identificatæ inter sese, & cum altera ex personis, vel producente, vel procedente, siue inter sese distinctæ realiter, atque identificatæ actiuæ cum producente, vt probabilius censei docebamur d. 3. ne alia superfluo admittatur. Hinc ad creatorum morem potentia fecunda admitti debet siue identificata, siue non identificata processionis, ac proinde, vt minimum, formaliter sine processionis constituta, atque à termino producendo distincta. Id quod præsentis negotij est, rursusque probatur. Quia actio, vt actio formaliter saltem non est agens: ergo præter actionis formalitatem aliquid aliud formale cogitare debemus in producente persona.

5 Dices: agens omnino determinatum, & connexum cum termino, cuiusmodi est Persona producens in diuinis formaliter esse actionem: cum huius conceptus sit

esse actiuam connexionem cum effectu: quod secus euenit in agentibus creatis: quæ non sunt omnino determinata, & connexa cum suis effectibus, vt patet. Quod confirmatur rursus. Quia idem persona procedens identificatur cum processionis: quia est determinatus omnino, vt procedat à producente, & per se se connexus essentia sua cum illo, atque ab illo procedens: ergo & producens persona identificatur cum processionis etiam ob similem determinationem ad producendum personam procedentem, & connexionem cum illa essentiali: ac proinde in diuinis idem erit agens, & actio formaliter, nec secus eueniat in creatis. Contra tamen: quia hæc omnia non euadunt difficultatem de superfluitate processionum: cum satis sit processio alteri identificata, qua posita, ne dicatur admitti, vt necessaria, altera processio superflua in diuinis, à persona altera processio identifica releganda est. Pone enim identificatam personam producenti processionem actiuam, quæ simul passiuæ est, vt ais: ex vi huius præcisè necessariis, & inuitabiliter procedit formaliter persona procedens, pendetque necessariis essentiali sua à producente suo modo in sui existentia: ergo alia processio ex parte sui superfluit: potestque esse ea determinatio, & connexio in procedente, quin sit ipsi identificata processio: tuncque, & constituta, & distincta esset à producente sine vili processionis: id quod, & de persona producente dici potest, si processionem vnã identificari cum procedente statuamus. Atque hinc claret determinationem ad producendum, vel procedendum, & connexionem vnus Personæ cum alia non esse formaliter processionem, sed ipsam formalitatem egressionis vnus ab alia: ac proinde posse esse eiusmodi determinationes in producente in actu primo, & in procedente in facto esse: quin inde altervtrius identitas cum sua processionis euincatur. Sed esto identificetur realiter, an inde colligis identificari formaliter, vt opus est ad hoc, vt constitui, ac distinguatur formaliter per processionis, seu relationes personas defendas. Ecce Michaël, ac reliquæ spirituales substantiæ se ipsis realiter producuntur à Deo, plurimum sententia, ac sua identificatur creationi. An Michaëlis essentia creatione constitui ab aliquo eorum dicitur, vel relatione creati? Minime. Sed eius constitutiuæ omnia absoluta sunt, atque prædicamento substantiæ coëccentur, quin eorum aliquod ad relationis prædicamentum transfugiat. Denique cum in vtraque Persona procedente, & producente processionem tam passiuam, quam actiuam constituas: & actiuæ, & passiuæ formalitas, quæ eadem formaliter est, erit in quavis, per quam ergo formalitatem processionis constitui intrinsicè producentem personam vis, atque ab alia procedente distinguatur, quæ intrinsicè in hac, à qua distinguitur, non fit, cum hanc eiusdem formalitatis processionis intrinsicè constituas, actiuam nimirum, & passiuam.

6 Quod autem nec relationibus transcendentalibus potentia, siue principij fecundi, aut termini producti, siue producibilis (quæ solum reliquæ sunt, si processionis, non idem ac relationes sunt) ita à ratione probatur: quia relationes transcendentes præfate realiter formaliter sunt ipsæ personæ constitutæ: ergo nequeunt esse earum constitutiuæ. Patet consequentia: quia constitutiuæ, in quavis linea, nihilo magis esse possunt constituta sua, quam pars suum totum esse queat. Antecedens de potentia, siue principio secundo suadetur: quia, vt ostendimus d. 4. q. 2. cert. 2. potentia notionalis, nec sola essentia est, nec sola personalitas, sed constat ex vtraque: quod quidem est tota persona. Nec refert conceptum partialis potentia, quæ in personalitate est transcendentaliter relationalium esse: tum quia partiales has potentias, è quibus potentia diuina adæquata consertur, ibi num. 2. ex Patribus, & ratione confutauimus: tum etiam, quia, qualis hic partialis potentia à te admittitur, etiam in essentia, sine vilo respectu ad personam productam, cui re ipsa identificatur & in personalitate sine respectu ad personam productam saluabitur. De potentia verò passiuæ siue producti, siue producibilis probatur antecedens: quia productum, siue producibile in diuinis, non est personalitas, sola

sola, sed tota persona procedens: cum processio diuina essentialiter claudat, & influxum, & communicationem, quæ non nisi ad coniunctum ex essentia, & personalitate esse potest: maxime cum realis productio sit: quæ proinde nequeat ad alteram ex formaliteribus realiter identificatis terminari seorsim.

7 Rursus, cum potentia spiritalia, atque spiratio Spiritus sancti, suis quæque signis posterius, vel adueniant (vt, alij volunt) Patri, & Filio prius formaliter adæquatè constitutis in esse personarum singularium, & atomarum, ita vt vtrique seorsim repugnet esse personam Spiritus Sancti, vel ex vtraque sic adæquatè primario constituta constentur, vt vidimus de spiratione actiua d. 3. q. 4. cert. 3. num. 4. ac de spiratiua potentia d. 4. q. 2. cert. 3. num. 3. ergo formaliter ante respectum vllum transcendentem ad personam Spiritus Sancti dux illa primæ adæquata formalis, atque item ab alia distinctio sine respectu transcendentali atque prædicamentali (qui posterior illis est) ad personam illam. Hoc autem in personis aliquibus admitti in omnibus debet: vt dicam cert. 3. num. 4. quia, siquid contra constitutionem personarum per absolutas proprietates formaliter, earumque per eandem distinctionem probat, de omnibus, ac respectu reliquarum probat, vel de nulla probat, vt ex oppositionibus cert. 4. diluendis constabit. Ad hæc posita per possibile, vel impossibile vnica inter Patrem, & Filium processione sola, vel relatione, scilicet generatione actiua, vel Paternitate, ita esset persona Patris atomæ constituta, de seque distincta à Filio, atque implicaret hunc esse Patrem, ac si duplex esset processio, & relatio in vnoquoque sua: non ergo sua quisque processione, aut relatione atomæ constituitur, atque ab alio distinguitur. Denique cum paternitatis, aut generationis actiue conceptus cum passiuæ, aut Filiatione de se non pugnent (idem enim, qui Pater absolute Filius esse potest) constat Filiationem Patri non repugnare ex earum relationum formali pugna, sed ex necessaria distinctione, quam earum quævis supponit inter producentem, & productum.

CERTAMEN III.

Proprietates personales quibus persona atomæ, & singulares constituuntur, prorsus absolute formaliter sunt.

1 Conclusio est Guillelmi Parisiensis a quod Carthusianum supra, & Scoti supra, apud quem idem docet Okam, S. Bonavent. & Ioann. de Ripa, Lichei, & Linconiensis apud Salmeronem nostrum supra, pagina 135. column. 1. sub init. Gasparis Hurtado supra, vbi pro se refert Soarium, Granados, & Zunnigam, non admodum certa fide, ipse tamen aperte pro ea conclusione est à paragrafo. Et eadem proportione, iuncto §. anteriori, vbi Patris innascibilitatem explicuit, ac reliquorum eam approbantium, quos dedimus cert. 1. sine. Probatur, primo Patrum autoritate, plurimum quidem à nobis relatorum d. 7. q. 1. per totam afferentium tres personas, hypostases, subsistentias, & supposita in diuinis: quod nemo Catholicus negare potest: quatenus verò eis nominibus significatur nihil vllò modo relatiuum deoluunt, sed existentiam Personæ cuiusque in se, & per se, quod prorsus absolute est, vt patet. Si autem tres personæ, &c. in Trinitate agnoscuntur sine vlla relationis cogitatione, atque absolute distinctio personarum Trinitatis, quare, & earum in ratione Personarum singularium constitutio sine relatione, ac prorsus per absolutas proprietates, agnoscitur. Audiatur ad hoc argumentum Cyrillus 7. de Trinit. verus med. explicatiùs adhuc locutus. Simplex igitur, &

incomposita est summa natura, & subsistentiarum proprietatibus, personarumque dilatata differentis, & in sanctam procedens Deitatem. Permutatam naturalium unitate, & inuariabili super omnia identitate ad vnum quoddam contentens Dei nomen, ac rem; ita, vt in vnaquaque tota intelligatur natura: cum hoc, quod adest ei etiam sua proprietates. Manifestum autem, quod vnumquodque secundum hypostasim manet id, quod est. Si autem in hypostasi manet id, quod est in se, & ad se (vt diximus, hæcque asserit Cyrillus) atque eo teste hypostasis, siue subsistentia differentis constituitur, distinguiturque ab aliis quævis singularis Persona Trinitatis: vtique absolute proprietate, non relatiua, constituitur, atque distinguitur.

2 Succedat, clarior etiam, pro hac conclusione Augustini, citato 7. de Trinit. c. 6. initio, vbi post impugnationem ex ipso recitata contra constitutionem personarum per relatiua, hæc etiam expressissima pro præsentis conclusione immediate subeicit. Quo circa, vt substantia Patris ipse Pater est, non quo Pater est, id est paternitas, sed quo est, id est essentia, ita & Persona Patris non aliud quam ipse Pater est, id est non est relatio paternitatis, quæ alio, nempe Filio, completur, sed ipse, siue ipsa Patris Persona. Subdit enim. Ad se quippe dicitur persona, non ad Filium, vel Spiritum Sanctum sicut ad se dicitur Deus, & magnus, &c. Et quemadmodum hoc illi est esse, quod Deum, &c. ita hoc illi est esse, quod personam esse. Ecquid precor ad rem præsentem illustrius, ni textum negligerent, qui hoc testimonium ad subsistentiam communem Trinitati intrudendam vnuunt: cum de persona Patris, & Filij singularibus Augustinus aperte loquatur. At, inquit, hoc testimonio rectè nos vti posse ad constitutionem personarum proprietates prædicamentales absolutas, secus transcendentaliter, de quibus Augustinus non loquitur: sed nec in nostris principis intelligi potest: loquitur enim de persona, & constituto ex essentia, & proprietate personali, siue personalitate, quod nos potentiam notionalem transcendentem relatum ad personam procedentem fatemur cert. num. 6. ex d. 4. q. 2. cert. 2. verum verumque probat. Licet enim persona re ipsa relata transcendentem sit: vt tamen eo nomine significatur relata transcendentem adhuc non est, quia in recto solam significat personalitatem de substantiorum substantialium ordinaria significandi lege: eam autem absolutam prorsus esse diximus, docetque Augustinus. Si enim relatiua aliquomodo foret relatiua, non absolute, & ad se significaret, dicereturque, sicut Deus. Vidit hoc & S. Thom. quem pro hac etiam conclusione stare video 1. p. q. 29. artic. 4. corp. & ad 1. dicens nomen Persona in diuinis significare quidem relationem (transcendentem, vel fundamentaliter prædicamentalem) sed non significare illam per modum relationis, sed hypostasis, quo etiam testimonio subsistentiæ communis auctores abutuntur.

3 Inducendi præterea sunt, qui per modos existentis in se nimirum, personas, & constituunt, & discernunt. Sunt autem Patres plures sparsim hoc opere recitati præsertim d. 8. q. 3. Eorum autem dux extat Iustinus Martyr: expositione fidei sub init. effatus. Ingenitum, & genitum, & procedens non essentia nomina sunt, sed existentia modi: modusque existentie nominibus hisce denotatur; essentia autem significatio nominis Dei designatur. Ita, vt sit differentia Patri ad Filium, & Spiritum iuxta existentia modum; unitas autem, siue identitas iuxta essentia rationem. Concludit inferius paulò. Atque hæc quidem sufficiunt ad probandum non essentiam significari per ingenitum, genitum, & procedens, sed existentias seorsim (id est vnus ex alio sustentias) præterquam quod existentia etiam denotant modum. Damasc. 1. de fil. c. 11. vers. med. In solis quidem proprietatibus paternitatis, Filiationis, & processions, secundum causam, & causalem, & personalem perfectionem (id est existendi modum) differentiam intelligimus. Ecce non paternitate, &c. secundum, quod relatio est, sed secundum personales perfectiones, id est existentia modos, personas distinguit Damasc. Quid sibi velint illa, secundum causam, & causalem dicemus cert. 3. Consonat Ricard. Victor. 4. de Trinit. c. 24. in init. vbi habet: Fortassis erit planius, & ad intelligendum expeditius, si dicimus quod persona sit existens per se solam iuxta singularem quendam rationalis

rationalis existentie modum. Capite autem i. dixerat: personalitatem esse diversum modum existendi.

Præterea eodem modo constituendæ sunt personæ omnes, vel per absoluta vel per relatiua: atqui personam unam constituunt Patres omnes, nec soli, qui nobis opponuntur, per proprietatem omnino absolutam, dum formaliter loquuntur: ergo, & omnes ita constituunt. Minor est certa: nam Personam Patris constituunt per formalitatem, innascibilitatis, quam absolutam esse d. 10. monstrabimus satis. Vidimus proximè Iustinum Martyrem; audiamus, & reliquos. Athanas. quæstione 5. ex anonymis, seu de natura Dei, proprietates, quibus constituitur, ac distinguuntur personas dixerat, sic enumerat: *Proprium enim Patris ingenitum esse: Filij vero genitum: Spiritus procedere.* Nyssen. de differentia essent. & hyposthaf. Neque commiscetur ea, que in i. consideratur proprietate, ut vel patri natiuitas, vel Filio. absque natiuitate esse assignetur Naz. orat. 13. de Paracleute verif. med. Nos unam, & eandem naturam principij uocatione generatione, ac processione agnoscibilem. orat. 23. in laudem Heron. verif. finem numero 32. Patris proprietate hæc est, quod ingenitum sit, Filij, quod genitum: Spiritus sancti, quod procedat. orat. 29. de dogmat. & constituit. Episcopos. circa med. Ita nobis proprietatum ratio constabit, si Patrem principij expertem, & principium cogitemus. Basil. epist. 43. ad Nyssen. prope fin: Non mutata, nec commixta, que in ipsi consideratur proprietate: quasi, vel patri genitum, vel Filio ingenitum esse assignat. Anastas. Synait. r. de recte fidei dogmatib. verif. med. Quod, ut proprium personis tribuitur, unam ab altera signatam distinguit personam; ut est ingenitum esse peculiariter conuenit Patri. Longè ante med. Ingenitum, genitum, & processio sanctam constituunt Trinitatem, atque infra: Vnaqueque Persona conformem sibi sortita est proprietatem significatiuam personæ substantiæ. Pater nuncupationem obtinet ingenit. Anastas. Theopolitan. compendiarie exposition. fidei sub init. Filius à Patre differt hypostafi; quatenus Pater est ingenitus. Damascenus r. de fide capite primo personas ait: *Vnum idemque esse præter innascentiam, & processionem.* Et cap. 9. longè à princip. Omnia, que habet Pater, Filij sunt præter innascendi proprietatem, ac tandem c. r. sub init. & med. scribit: *Personas esse omnino idem præter ingentiam, ingentiam, & processionem.* Quibus adde Damascenum sæpè ita loquentem.

A ratione demùm ea omnia conclusionem probant, quæ non constituitur, nec distinguuntur personas per relatiua, siue prædicamentalia, siue transcendentia certamine secundo probant: argumento à sufficienti partium enumeratione. Probatur secundo: quia substantia, seu personalitas quæuis, in diuinis, solum potest dicere singularitatem ultimam, & atomam, qua, & diuinitas ultimo singularizetur, & quasi physice determinetur, constituatque naturæ rationalis diuinæ indiuiduum physice, ac metaphysice totale, & quod cum alio quouis tanquam cum compare componi nequeat: uti enim docebamur disputat. processionali ex Boetio, Patribus, Conciliis, & Scholasticis quam pluribus in hac totalitate indiuidui substantialis naturæ suppositi ratio, & Personæ consistit: atqui ultimi complementi, & singularitatis ratio (si præcipue indiuiduum substantiæ, ac substantiale sit, ut in Personis Trinitatis euenit) est prorsus absoluta à respectu, siue prædicamentali, siue transcendentali: ergo, & personalitas quæuis diuinæ personam suam in esse personæ atomæ, & singularis constituens prorsus absoluta, tam prædicamentali, quam transcendentali est.

R. P. Christoph. de Ortega, de Deo Pno & Trino.

CERTAMEN IV.

Authoritatum sono tenus aduersantium, aliarumque oppositionum solutio.

Non grauabor priusquam testimonijs patrum qui opponi nostræ huic doctrinæ videntur, respondeam, quam eis recitatis noster Salmeron ahibet, solutionem ipsius verbis tract. citato pag. 156. col. 2. post init. referre. Ne si cui nostræ minus ardeant, ingenio, & autoritate potior desit. Sic ergo scribit. *Quod si Patres interdum omnia absoluta communia tribus personis, dixerunt, de absolutis illis intellexerunt, que cum essentia conuertuntur, & non de proprietatibus; & cum per relationes personas constitui dicunt, vel ex opinione sunt locuti, non ex fide, de qua per Concilia, aut decreta non ita euidenter constat: vel relationes, ut notus proprietatem constituentiu personas accipiunt, quia alia nomina priora non occurrebant. Et quod habetur in Concilio Toletano II. nihil desinit: sed illud Prouinciale Concil. XIX. Episcoporum exponit suum sensum, & intelligentiam, de Myserio Trinitatis: & nihil, ut prius disputatum, & cognitum, sancti, tanquam de fide ab omnibus tenendum. Quemadmodum etiam Concilium Florentinum nihil ibi de eo articulo, tanquam dubio, & conuerso tenendum desinit; sed obiter, & aliud agens illam sententiam secutum est. Hæc ille. Sed nos iam eis testimonijs minutius respondeamus.*

Et sanè quoad constitutionem personarum per absolutas proprietates parum negotij Patres, & Concilia nobis facessunt. Sunt enim perpauca testimonia, sono adhuc, aduersantia. Bessarion. orat. pro vno post Concil. Florent. c. 6. post med. col. 8. & 9. bis ait: *Non enim generare, & genitum esse, quod originis est, constituit principaliter personam, sed paternitas, & filiatio. Ac rursus præmissa relationis, & originis identitate ait: Vtroque quidem modo distinguuntur diuine persone: prius tamen, & principaliter secundum modum intelligendi per relationes, per quas etiam constituitur diuina persone. Secundo: Ioannes Theologus eodem Concil. o. c. 18. §. Vos queritis, sic habet: Ita enim sentit epiphanius de originis habitudine Bessarioni, & Fr. Ioanni de Monte-negro Dominicano obiter in Concilio, de alijs disputante, suas opiniones proferentibus respondere oporteat, dicit: Bessarionem loqui de relatione fundamentaliter, non formaliter prædicamentali: hoc est de proprietate personali, absoluta, quam nostræ sententia ponit, ut relationis fundamentum. Ait enim prius relatione, quam origine constitui: quod alio sensu factum omnino esset: cum origines, & in personis ponat, & relationibus sint priores. Ait autem prius, & principalius eis relationibus, fundamentaliter, ut dixi sumptis, constitui, & distinguuntur personas: quia originibus formaliter in fieri persone considerantur, proprietatibus autem alijs personalibus in facto esse, in se intrinsecè. Quem sensum satis se explicuit dicens post pauca: *Vtroque quidem modo distinguuntur diuine persone, sed principaliter relatione, siue proprietatibus. Quæ in facto esse, & formaliter intrinsecè illas constituunt.* Ioannes Theologus, & S. Thoma quæ putabatur, sententia locutus est: nisi forte vtrique (quod, & textui non erit incongruum) de personis quatenus nominibus relatiuis significantur, quibus aut solum, aut frequenter appellantur, locutus est. Quod quidem idem est, ac dicere: personam, qua relatiua, siue Patrem, qua Patrem relatione constitui. Id quod, & certissimum est, uti in quæstionis notatione explicabamus, nec nostræ conclusioni aduersum, quæ de personarum constitutione in ratione personarum singularium, atque atomarum statuitur. Sed opponunt tandem Cyrillus 2. Thesaur. capite tertio, aientem: *Nunquam in plures personas distinguetur, Deitas, nisi quedam inueniretur differentia, non secundum essentiam, sed secundum relationem, & quasi extrinsecè intellecta, per quam vtriusque**

que persona in hypostasi constituitur. Sed præterquam quod locus iste præfatas duas solutiones admittit: eis adhuc opus non habet, si rectè construatnr. Illud enim per quam non refert relationem, sed differentiam, quam per relationem extrinsecus intelligi ait, cum sit alioqui intrinseca personis, illas in personas singulares, & atomas constituens. Epiphaniij locum à Ioanne citatum ad constitutionem personarum per relatiua non vidi, cum totum legirum Ruiz: quare æstimo referri pro antecedenti doctrina.

3 Sed quoniam personas per ea inter se se, per quæ constituntur, distingui asserimus questione 2. eis etiam testimoniis, quæ personarum distinctionem per relatiua sonare videntur satisfaciendum nobis erit, vt nostram doctrinam ab oppositionibus omnino vindicemus. Ea vero quamplurima sunt, quare altero cuiusque generis recitato, & soluto, omnibus tandem fiet satis, quin otiosè reliqua carthas inundent. Primum sit *Patrem omnia dedisse filio præter esse Patrem* idest paternitatem. Ast eo, quod filio non dedit, sed sibi adseruauit ab eo distinguitur: ergo relatione paternitatis distinguitur formaliter à filio. Sed rogo obiectantes an ita rigidè accipienda hæc sint, vt esse Patrem, seu paternitas formaliter à Patribus, & sola intelligatur? An sumi possit, atque intelligi in illis fundamentaliter, vel cum alijs Patris formalitatibus proprijs illius, in quibus ipsa fundatur? Si secundum hoc admittunt, vti Catholicè admittere debent, proprietatibus illis Patris fundamentalibus relationem paternitatis, vt potè prioribus, constituit, atque à Filio distingui personam Patris certum erit, vt ostendimus à ratione certamine 2. Si autem primum dicant, habent contra se Damascenum recitatum ex 1. de fide capite 9. longè à principio dicentem: *Omnia que habet Pater Filij sunt præter innascendi proprietatem*. alijsque plures Patres cum ipso recitatos certamine 3. numero 4. Insuper, & fidei aduersantur, siquidem de fide est Filio non esse datam innascibilitatem Patris: atque hæc absoluta prorsus est, vt loco ibi citato ostendemus: est siquidem esse à se explicatum per negationem relationis essendi ab alio. Catholico ergo sensu intelligendi Patres sunt, dum ita loquuntur, de paternitate fundamentaliter sumpta personaliter proprietate, illudque omnia de communibus formalitatibus intelligendum.

4 Opponi solet illud Boetij 1. de Trinitate capite 12. sub init. *Ita igitur substantia continet unitatem, relatio multiplicat Trinitatem*. Isidor. 2. de different. spiritualibus capite 2. *In relatione personarum Trinitas est*. Naz. orat. 37. 5. de Theolog. colum. 5. *Mutue eorum relationis differentia diuersa quoque ipsis nomina procreauit*. Gregorius Boeticus de Trinitate post medium: *Hoc solo diffingens à Patre Filius, quod ille genuit, hic natus est*. alijsque plures Patres, & Concilia in eandem sententiam scribunt, quorum testimonia non pauca in nostra principali solutione recitabimus: reliquorum notabimus loca. Ex quibus omnibus, & præcipuè Damasceno recitando Theologicum illud, atque ab omnibus suspiciendum axioma manauit: *In diuinis non est distinctio, nisi obuiet relationis oppositio*. ergo, conclamant Aduersarij, distinctio personarum per relationes est, non per absoluta. Cæterum cum testimonia hæc omnia de relationibus prædicamentaliibus loquantur, solutioni obnoxij nobiscum erunt Scholastici omnes, præter sex illos rigidos primæ sententiæ defensores. Ex alijs enim nemo per relationes prædicamentales formaliter sumptas constituit, ac distingui personas defendit: quod si alio sensu, quam formali relationes prædicamentales eis locis sumi à Patribus dicendum ferè omnibus est: facillimè negotio expediam, si dicam ab eis Patribus relationes prædicamentales sumptas fundamentaliter fuisse personalibus proprietatibus absolutis, quas diximus: in quibus tanquam in fundamentis relationes prædicamentales sunt. Atque Nazianzeni locus de nominibus Patris, & Filij, expressus est, quæ relatiua sunt, non de constitutione personarum per relationes, imò

neque id ipse vsquam docere potuit: vel eo, inter alia, præcipuè, quod inter Patrem, & Filium vnicam re, & formaliter esse docuerit, qua mutuo alter Pater, alter Filius dicatur, vt vidimus disputat. septima, questione tertia, certamine secundo, numero quarto. Sed quia communior cum alijs etiam Patribus causa hæc est, vniuersalem solutionem, genuinamque eorum, vt puto, sensum edisseramus, quo etiam formaliter locutos nostræ sententiæ nullatenus aduersari monstremus.

5 Germanus ergo sensus illorum est: eos quidem de relatione formali expressa nominibus Patris, & Filij, & Spiritus sancti, quibus in Scriptura, & vsu personæ Trinitatis nominantur, fuisse locutos. Eam autem non constitutum formale, & distinctum Personarum Trinitatis designasse, sed vt argumentum formale, & efficacissimum pluralitatis, seu Trinitatis Personarum in diuinis demonstrandæ: quia nimirum relatio producentis, & producti, siue procedentis, non nisi inter distincta extrema potest inueniri: cum idem sui ipsius producens, aut productiuum esse non possit; quare ex productione, relationeque producentis, & producti, rectè, & euidenter ostenditur vtriusque distinctio: non quidem, quam actio, seu relatio in illis ponat, sed quam potius supponat. Hoc probo primum: quia omnia illa Patres, & Concilia protulere non disputando de constitutione metaphysica personarum, de qua Scholastici solum disputant, quæque, ne in mentem quidem, ipsis venit; sed disputando contra hæreticos Arianos, Sabellianos, Eunomianos, & Græcos de vnitæ essentiæ Personarum Trinitatis, de quæ diuersitate in Personis. Insuper de processione vnus ab alia, atque Spiritus sancti à Patre, & Filio iuxta errores varios à nobis memoratos disputatione secunda. Vt autem ea probarent, ex processione vnus ab alia, eorumque relatione contra alios diuersitatem Personarum argumento facto euincerebant: atque in essentia vnitatem, inter quam, & Personam nulla detur productio contra alios; atque contra alios tandem processione Spiritus sancti à Patre, & Filio à quibus diuersus personaliter est: cum tamen ex Scriptura non nisi inter procedentem, & producentem personam detur distinctio. Quod si non eo argumento diuersitatem Personarum contra Hæreticos in vnitæ essentiæ Patres euincerent, sed ex constitutione personarum per relatiua videri ab hæreticis merito possent: cum ex Scriptura solum constet esse Patrem, & Filium, & Spiritum ab vtroque in diuinis, non autem per huiusmodi relationes vnumquemque ex illis constitui in se, & distingui à quouis alio. Ex ratione autem naturali, & metaphysica certum sit producens, & productum non relatione constitui in se, atque ab extremo opposito secerni, sed ad eam constitutum in se extremum, atque ab opposito distinctum supponi. Relatione ergo formali in Scripturis expressa, tanquam medio utebantur, vt distinctas personas hæreticis probarent: quia nihil sui ipsius actiuum, siue producens esse potest; non autem tanquam formali constitutiuo, ac distinctiuo Personarum.

6 Hoc ipsum plura testimonia, quæ nobis opponi solent, præ se ferunt Cyrillus, secundo Dialogorum de Trinitate, columna quinta, ad id: *Baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti*. his verbis: *Collegit, & præ alijs posuit nomina nobis constituentia*; id est proponentia, vniuersiusque significati propriam existentiam; id est secularem ipsius existendi in se, & ad se modum vndecimo Theauri capite vnico vers. finem ea nomina esse in Deo ait, *que relationem quandam ad exprimendam distinctionem, id est nobis significant, ostendunt*. Ex quibus constat eiusdem sensus septimo Theaur. capite primo post medium, dum ait: *sola diuersitate relationis, non in se, sed in extremis, que diuersis nominibus significatur, cum eadem inter extrema opposita sit, nec alia re alia distinguitur*.

id est: nulla alia de re, siue de causa. Concilium Toletan. II. tacite ab Ecclesia approbatum confess. fidei cap. I. in relatione, quavis una, personarum numerus cernitur. Cum non nisi pluribus effect. si relationibus constituerentur, ac distinguerentur formaliter personæ. Item illud cernitur idem, ac nobis insinuat, ut patet, ac post pauca Concilium ipsum sic expressit: *Hoc solo numerum insinuant, quod adiuuicem sunt.* Ex quo eadem Vvormaciense profess. fidei sub init. Anselm. de processione Spiritus S. capite 2. post med. & capite 5. probat Spiritum S. à Patre procedere: *Quia, inquit, si uterque de nullo est, penitus nil inueniri ualet in fide Christiana, unde sint adiuuicem alij, sed unus, idemque Pater, & Spiritus S. & una persona, id est nullum est argumentum ex fide, & reuelatis peritum ad eorum diuersitatem probandam.* Et cap. 3. init. & med. respondens argumento identitatis personarum ex identitate nature: *Sed obuiat relatio, que prohibet Filium, uel Spiritum S. esse Patrem, qui sensus ipsissimus (ut sic loquar) est axiomatis illius: Nisi obuiet relationis oppositio.* Etenim in diuinis relatio, qua diuina, non affert distinctionem: cum spiratoris relatio Patrem, & Filium, in quibus est, non distinguit, sed cum paternitate, & Filiatione amice componitur, sed ratione oppositionis, & diuersitatis, quam in extremis supponit, cum producentis, seu productiui, & producti relatio est, ut dicebamus: quia nihil nisi ipsius actiuum esse potest. Hinc Damascen. recitatis verbis certamine 3. numero 3. *Secundum causam, & causale differentiam intelligimus, aiebat. Boëtius obiectus eo loco rationem cur relatio multiplicet Trinitatem immediatè subdit: Nam idem Pater, qui Filius non est, &c. dixeratque paulò superius nullam relationem, hoc est relatum ad se ipsum referri. Eandem reddunt rationem reliqui Patres, qui opponi nobis possunt Augustinus II. de ciuitat. capite 10. init. & capite II. & 5. de Trinitat. capite 8. ac libro 7. capite 2. Cyrillus I. Thefaurus capite 8. Basilius homilia 28. contra Sabelian. versus med. Athanas. II. de Trinitat. sub init. Fulgent. ad I. obiectionem Arrianor. post med. & fin. Bernardin. Epistola 190. ad Innocent. column. 2. Nec alio sensu loqui potuerunt, cum iidem locis recitatis certamine 3. numero 3. & 4. per innascibilitatem, & existendi in se, modos, &que hypostases, personalitates, ac substantias, qui conceptus absoluti, (ut diximus) sunt, Patrem, & personas constituent, ac distinguant, dum formaliter loquuntur.*

7. A ratione opponens. Constitutiuæ, & distinctiuæ formalia non opponuntur relatiuè per nos: sed nec priuatiuè, cum in eadem essentia sint, nec sit altera alterius priuatio: nec contrariè: tum, quia oppositio hæc dicit limitationem subiecti, quæ in essentia diuina non est: tum quia utraque cum eadem essentia diuina amice componitur: ergo nullam habent distinctiuæ formalia oppositionem; ergo, & realiter identificantur, sicut, & alia defectu oppositionis ob entitatis diuinæ summam perfectionem: ergo Pater, & Filius secundum suas proprietates, & distinctiuæ idem realiter sunt: quod, & est implicatorium, & hæreticum. Respondetur: in primis, hæc omnia in innascibilitatis conceptu, qui quidem formaliter absolutus est, manifestè instari. Deinde responderetur: negando primam consequentiam: quia præter ibi enumeratas est oppositio singularitatis vnus cum alia, ut patet in singularitatibus Petri, & Pauli, quas secum identificari repugnat. Cum ergo personalitas quævis diuina sit vltima singularitas, qua Deitas singularissima in linea nature, communis tamen physice personis, vltimo singularizatur, ut quatenus illi identicè coniuncta nequeat alij identicè copulari, habet cum aliis personalitatibus, siue vltimis singularitatibus oppositionem formaliter: quæ realiter quidem oppositio relationis principij, & principij, siue producentis, & producti est: cum in statu realitatis, ac non præcisionis illarum ab essentia, & personis, & principia, ac principia constituent, inter quæ solùm est rela-

R. P. Christoph. de Ortega, de Deo Vno & Trino.

tionis oppositio, licet inter personalitates præcisè sit sola oppositio singularitatum. Illud autem axioma in diuinis non est distinctio nisi obuiet relationis oppositio, de statu realitatis intelligendum est, non præcisionis formalitatum, ut patet; ac superius docebamus: in isto vero statu oppositio est relationis formalis realis inter personam, & personam, tam principij, & principij, & producentis, & producti, quam Patris & Filij. Imò, & inter personalitates ipsas, quarum quævis in statu realitatis ita determinate est hæc persona produciens, ut nequeat esse alia procedens: licet formaliter loquendo, & præcisè, nec produciens, nec procedens sit, sed alteram vnàquæque constituens vltimè, quare, & vltimum determinatum relationum transcendentium primò, deinde etiam prædicamentium. Quod scilicet habet essentia: quia status iuxta realitatis non est vni personæ affixus, cum sit tribus communis physice, realiterque identificata: quare neque in statu realitatis distincta, ac relata alicui dici absolute potest: formaliter autem loquendo, & præcisè essentia indifferens est ad constituendam potentiam notionalem tam actiuam quam passiuam, & personas tam producentes, quam productas, seu procedentes: quare neque vltimum determinatum; ac determinatum fundamentum relationum, siue transcendentium, siue prædicamentium: quare nec fundamentaliter relatiua dici potest, sicut personalitates formaliter sumptæ, & fundamentum relationum sunt, & fundamentaliter relatiua dici merito possunt.

QVÆSTIO II.

An constitutum idemmet Personarum formale distinctiuum sit in diuinis?



Si hac super re satis nostram quæstionem præcedenti sententiâ explicauerimus, hanc quæstionem instituiamus, ut nostræ doctrinæ consequentia probetur, aliorum improbentur inconsequentia.

CERTAMEN I.

Aliorum opiniones confutata.

TRIPLEX sententiæ negatiuæ via aperta hætenus ab Scholasticis fuit. Prima, Durand. in prima d. II. quæstione 2. ad secundum, dis. duodecima, numero vigesimo tertio, ac vigesimo quarto. Capreolus d. II. toto articulo secundo. Ferrar. 4. contra Gentes capite 24. & 26. circa med. Caietanus prima parte quæstione 36. articulo secundo, §. ad euidentiã huius difficultatis, Bannez articulo quarto, dubio secundo. Canariensis articulo secundo, parte secunda ad tertia. Molinæ disput. tertia, circa medium, §. præcipua difficultas. Nazar. controuers. prima. Argent. in prima disp. 27. quæstione prima, articulo tertio circa finem, & communiter Thomistarum, ait: licet in absolutis verum sit per ea formaliter distingui, per quæ constituntur, atque in relatiuis respectu termini correlati; ast respectu termini non correlati per aliud etiam absolutum, ab illo distingui posse, quam in se constituantur: ut patet in duplo, quod dupli relatione, qua formaliter constituitur, à dimidio sibi correlato formaliter etiam distinguitur, à triplo verò, vel quadruplo, qui termini correlati non

non sunt, absolute solum, quia formam habet diuersam: cum ergo Spiritus Sanctus terminus correlatus Paternitatis, & Filiationis non sit, his quibus Pater, & Filius constituuntur formaliter, ab eo non existunt, sed Spiritus relatione: quia in diuinis, nisi per relationes, distinctio non est. In primis, quam falso extremum hoc asseratur constat ex q. 1. Primum autem, & falsum est, & contra S. Thom. 1. p. q. 40. art. 2. circa med. vniuersaliter de omnibus, etiam relatiuis, docentem per id ab omnibus formaliter distingui, per quod constituuntur. Loquitur in diuinis, & casu nostro etiam. Atque in relatiuis, cum forma tota relatio sit, ea distingui debent ab aliis, non forma absoluta, quam non habent, quod vrgebo cert. 2.

2. Secunda via est nostri Vasq. 1. p. d. 147. cap. 7. num. 34. & cap. 8. d. 158. cap. 3. Alarcon. d. 4. de Trinit. cap. 9. à num. 2. asserentium in his, quæ realiter constituunt, vt reales formæ, constitutum formale idem ipsum esse reale formale distinctiuum: in his autem, quæ per rationem constituunt, vt in diuinis personis, non eadem esse distinctiuam licet distinctiuam. Id quod suo quique exemplo confirmat, & Vasquez quidem actione, & passione, quæ diuersis formalitatibus constituuntur, neutraq; realiter ab altera differt. Cum ergo constitutio personarum Patris, & Filij per rationem sit, ac distinctio earum ab Spiritu Sancto realis, poterunt per aliquid iam constitutis adueniens, nempe spirationem, vel spiratoris relationem ab illo distingui. Sed exemplum è re non est: tum quia, si solum formaliter actio, & passio distinguuntur, tota constitutio, ac distinctio rationis est, atque eiusdem re ipsa entitatis: aut constitutio personæ diuinæ, licet rationis sit, in effectu est formæ realis, cum vnâ personam constituat, in qua est aliquid re ipsa, quod non est in alia: quare exemplum è re non est, atque ad generale assumptum Vasquezij insufficient. Quoties enim differentia, etiam per rationem constituens, ita constituit, vt eius ratione aliquid sit in constituto re ipsa, quod re ipsa non sit in alio, sufficienter illud ab alio distinguit realiter (id quod in Spiratoris actione, vel relatione adueniente constitutis admittere debet Vasq. cum solum per rationem constituat, & tamen, quia aliquid ponit in Patre, & Filio, quod non est in Spiritu S. distinguit eos, vt spiratorem realiter ab Spiritu Sancto) sed constitutiuam rationis personarum ponit in persona quavis aliquid, quod realiter non sit in alio: ergo distinguunt personas realiter: ac proinde idem formale constitutum; est distinctiuum personarum.

3. Alarcon alio exemplo doctrinam generalem Vasquezij confirmat, atque antecedens nostrum vltimum infirmat. Ait enim rationale per rationem constituere hominem in sua specie, & distinguere ab specie equi, quas non distinguit animal, in quo conueniunt: & tamen realiter non minus differt homo ab equo per animal, quam per rationale: quia se totis realiter differunt: ergo non semper constitutum pure rationis distinguit realiter constitutum; sed solum per rationem: in eo nimirum ordine in quo constituit. Mala illatio: cum ex antecedenti, & exemplo potius inferatur: ergo ea etiam quæ non constituunt, vt distinctiuam formalia possunt realiter distinguere. Nam exemplum vtriusque realiter distingui hominem ab equo probat. Sed exemplum è re, & doctrina huius authoris non est. Non è doctrina: quia animal non aduenit homini constituto, vt ratio spirationis, vel spiratoris in horum sententia; sed, vt genus constituit, è re autem non est: quia constitutio personarum ex essentia, & personalitate, licet rationis sit, non est proprie generis, & differentie, sed sicut formæ duplicis duorum indiuiduorum eadem materia constantium. Denique distinctio realis per constitutiuam formalia ratione solum à communi distincta in sola Trinitate inuenitur: quare nulla exempla creata idonea inueniuntur, vel ad explicandum, vel ad impugnandum. In eis est implicatio in terminis distingui realiter per formalitates; sicut in Trinitate. Vnde homo per animal, vel rationale formaliter sumpta non distinguitur realiter ab equo: sed se totis realiter indiuidua

differunt: quia in nullo realiter conueniunt, sicut conueniunt realiter in essentia personæ.

4. Tertia via est per id, quo constituuntur personæ formaliter, satis esse, si distinguantur formaliter, vel radicaliter: quare Patrem, & Filium formaliter per sua constitutiuam distingui: radicaliter verò per eadem ab Spiritu Sancto differre: formaliter verò per spirationem. Ita Ruiz d. 68. sect. 8. n. 13. citans S. Thom. q. 10. de potentia articuli 5. corp. dicentem: *Distinctioem Spiritus S. à Filio non sumi ex eo, quod alter genitus, alter spiratus: sed ex oppositione duarum affirmationum, quod alter spirator sit, & alter Spiritus.* Sed in his nihil pro hac sententia inueni. Contra illam verò à ratione non pauca. Contra: quia, si in esse singulari per onales, & indiuidua sunt constitutæ duæ Personæ Paternitate, & Filiatione formaliter, implicat hoc esse personale Patris, vel Filij esse hoc esse personale Spiritus Sancti: ergo eis sunt realiter formaliter distinctæ ab illo. Pater: quia realis formalis distinctio, vel est negatio identitatis vnus cum alio, vel huius negationis fundamentum. Confirmatur: quia distinctiuum reale formale nequit aduenire formaliter iam constitutis in esse singulari formaliter, vt ostendebam supra: quia singularitas est vltima differentia formalis, ac proinde per aliam singularitatem in propria linea incontrahibilis: atqui per te Pater, & Filius in esse singulari personali Paternitate, ac Filiatione sunt constituti realiter formaliter: ergo nequit eis constitutum reale formale vltra Paternitatem, & Filiationem aduenire. Nisi admittas non isdem formaliter realiter distingui, quibus constituuntur personæ, quod in primo modo impugnabas, acrisque certamine sequenti refellam.

5. Recentiores Complutenfes, dum à sententia negante hæcenus iuxta varias eius vias volunt recedere, & affirmanti consentire, atque ex alia parte difficultatem de spiratione volunt componere præter rem, & falso nonnulla docuerunt. Asserunt ergo Patrem, & Filium essentialiter loquendo isdem, quibus constituuntur formaliter realiter, & inter se, & ab Spiritu Sancto realiter formaliter distingui: aut relatione spiratoris tanquam per passionem, seu proprietatem ab eodem vtrumque differre: non aliter atque homo ab equo per risibilitatem differat, licet essentialiter per rationale distinguatur. Sed hoc, & præter rem est, tum quæstionis, tum componentæ difficultatis. Etenim, si se vel admittat ante relationem spiratoris Patrem, & Filium distingui essentialiter: hoc solum inquiritur de distinctiuo primario, & essentiali personarum. Si autem spiratoris oppositio in eo essentiali constitutum non est: difficultas, quæ aduersarios in tot discursus agebat, adhuc vigeret. Quomodo sine oppositioe principij, & principij ab Spiritu Sancto Pater, & Filius realiter formaliter distinguantur: cum certum omnino sit, ea ablata oppositioe, non posse in diuinis distinctioem reperiri. Quod si in essentiali constitutione personarum distinctio non est, identitas essentialis erit: vnde passio duorum cum Spiritu Sancto, quoad essentialia etiam personalia identicatorum, non erit spiratio, vel relatio spirandi, quæ eiusdem ad se ipsum esse non potest: quare neque per illam, tanquam per passionem ab Spiritu Sancto distinguuntur. Sed esto: sit distinctio in essentialibus personalibus vtriusque ab Spiritu Sancto: spiratio tamen passio vtriusque non est, vt euincebam dis. quæstione 2. & d. 4. quæstione 2. Secundò relatio spirati essentialis personalis est Spiritui S. ergo, & spiratoris Patris, & Filio essentialis personalis erit: quia differentia diuisæ oppositæ in eadem linea, vel vtraque, vel neutra essentialis diuisæ est: vt patet in rationali hominis, & hincibili radicali equi. Ergo, vel spiratoris actio, aut relatio essentialis personalis est vtriusque, vel spirati ratio non est essentialis Spiritui S. Quod si hoc extremum admittas, nescio cur rationem geniti essentialem, ac non passionem dicas esse Filio.

CERTAMEN II.

Iisdem realiter formaliter, quibus constituuntur, Personas diuinas distingui Patrum auctoritate probatur.

T Radunt conclusionem Scot. in 1. d. 10. q. 8. & d. 11. q. 2. & Scotistæ omnes. Gabr. ibi art. 2. & 3. vbi Carthuf. col. penult. approbat Ricard. c. acite, art. vnic. q. 2. Aureol. art. 3. concl. 4. Bachon. d. 13. q. 1. Philip. Faber in 1. d. 38. Henric. quodl. 5. q. 9. Sar. 7. de Trinit. cap. 4. Valent. q. 10. pun. 3. Arrubal. d. 112. cap. 2. num. 6. ac d. 131. cap. 3. n. 17. Luis Torres d. 20. dub. 4. Granad. tract. 12. d. 2. Gasp. Hurtd. d. 4. diff. 4. ver. fin. §. Respondemus enim, ac deinceps. Eidemque conclusioni consentire voluerunt Ruiz, & Recent. memorati. Probatur ex Patribus Basil. Epist. 43. fin. Manente, quæ in ipsis consideratur, proprietate, ad hoc, ut euidens sit personarum discreta notio. 2. contr. Eunom. ver. fin. Proprietates, ac notæ, quasi characteres quidam, ac forma in substantia inspectæ, distinguunt quidem, quod commune est appropriatis characteribus. Post pauca: Hæc enim proprietatum natura est: ut in identitate substantiæ distinctionem ostendant. Athanas. Dialog. 1. de Sancta Trinit. med. quod proprietatem habet numerum admittit ipsa enim proprietates numerum inducit, infra: Quando tres hypostases dicimus Patris, Filij, & Spiritus Sancti, verè esse dicimus proprietatum differentiam in hypostasi. Nyssen. ad Ablab. Quod non tres Dij, ac hypostases ratio, per eas, que in unoquoque considerantur proprietates dispersionem admittit, & iuxta compositionem in numero consideratur. Pende: Iuxta compositionem in numero, id est constitutionem in pluralitate consideratur. Naz. orat. 32. ad 150. Episcopos post med. Quid vobis hypostases volunt, aut vobis Personæ? Quia in tria esse, que diuidantur, non naturis, sed proprietatibus. Cyrillus Alexand. Dialog. de Trinit. circa fin. Substantiam proprietatibus, Personarumque differentis dilatam, pluribus communicatam, esse ait Theodoretus Dialogo immutabilis, col. 2. diuina supposita dicit esse proprietate differentia.

2 Anastas. Synait. 1. de Rectæ fidei dogmatibus, longè à principio: Quod, ut propriam Personam tribuitur, vnam ab altera signatè distinguit Personam. Isidor. Pelusiota lib. 2. Ep. 142. Trinitatè personarum qualitate, atque hypostases proprietate distinguentes. lib. 3. Epist. 149. Diuinum nomen proprietatum ratione distinguitur, Damas. Epist. de Trifragio circa med. Solum hypostasis, & characteristicis vniuersis, que hypostases proprietatibus separari. De duabus Christi voluntatibus sub init. Distare inter se dicuntur sibi insignitas proprietatibus. Ambros. in Symbol. Apostolor. cap. 10. init. id ego & Pater vnus sumus, Ioann. 10. ita exponit: Sumus propter personarum proprietates, cap. 11. med. Nos Deitatis Personas in proprietatibus suis distinguentes, Aug. 3. controu. Maximin. cap. 10. fine: Propter vniuersis, que proprietatem tres persone sunt. Fulgent. de fide ad Petr. longè ab init. Personarum sunt proprietate distincti. Ad primam objectionem Arrianor. Non enim ipse est Pater, qui Filius: quoniam in utroque personarum proprietates reseruat, Ioann. P. 1. de duab. natur. contra Euthyc. post init. cum August. ait: Trinitas sit propter proprietatem personarum. Et cum Naz. tria secundum vniuersis, que proprietates. Concil. Lateran. cap. sumitur de summ. Trinit. secundum personales proprietates discreta. Marcus Græcorum nomine sess. 19. Concil. Florentin. sine. Per suas proprietates re ipsa differunt Personæ. Richard. Victorin. de Trinit. cap. 15. & 17. citatis, eandem repetit sententiam illis præsertim verbis: Personalem proprietatem dicimus, per quam quilibet vnus est ab omnibus aliis discretus. Quibus rationem tradit ex omnibus recitatis sic efformandam. Proprietates, seu propriam Personarum, quæ tale. Aliud est, quod in vnaquaque singulariter est, seu, quo vna quæque singulariter est. Ergo, si proprietatibus distinguuntur per Patres omnes, distinguuntur, quibus formaliter constituuntur singulariter in suo esse personali. Ea quippe sunt proprietates primæ, quibus singulariter sunt.

3 Integrum discursum dederunt nobis iam olim Sophronius Patriarc. Constantinop. 6. Synodo act. 4. dicens: Spiritum Sanctum nec Patrem, nec Filium esse. Propter vniuersas horum trium proprietates, propterque dissimilitudinem proprietatum, que inconfuse vnquamque figurant Personam. Sicut ergo esse Deum vna quæque inconuertibiliter possidet, ita, & proprietatem, per quam ipsa persona figuratur immutabilem, & immobilem obtinet, que eidem soli insita est, & ab ipsis aliis Personis eam discernit. Atque in casu, & difficultate præsentis de distinctione Spiritus Sancti à Filio per id, quo in esse Filij personali, & in personali esse Spiritus Sancti constituuntur, sic loquitur Naz. orat. in sancta lumina post num. 42. Spiritus Sanctus verè Spiritus est, procedens quidem, ex Patre, non tamen Filiationis modo, ut nec generationis, verum processio-nis. Quam eandem distinctionis rationem dederunt August. 5. de Trinit. cap. 14. sub init. Exiit enim, non quomodo natus, sed quomodo datus. Et Damas. 1. de Fide cap. 7. 9. 10. ac 18. Non filialiter, sed processibiliter. Præclarior autem, si potest, Athanas. Dialog. 1. de S. Trinitate, contra Anomæum in eandem distinctionis rationem Spiritus Sanctus à Filio ita scribebat. Differentiam esse non hanc ratione, quod sine ex hypostasi, sed quod vnus quidem ex vtero sit, alter ex ore, id est differentiam non esse, quod à persona procedant cum id vtrique commune sit; sed quod Filius ex vtero, id est genitus, ac Filius sit; Spiritus autem ex ore, id est spiratus, iuxta Scripturæ, & Patrum phrasim. Ecce quod aduersarij non capiunt nempe eodem, quo in esse personali talium Filius, ac Spiritus Sanctus constituuntur inuicem distingui, quin distincta formalitas in Filio, quare neque in Patre, expectetur, docuerunt Patres iam olim: & tamen, ne, nunc quidem, tot Scholastici intelligunt, qui formalitatem constitutis Patri, ac Filio superaddunt, ut eos ab Spiritu Sancto distinguant. Est autem in causa, quod spiratuum potentiam non satis caluerunt, ut certamen 4. ostendemus, ex doctrina, quam ea de re dedimus disputatione 3. quæstione 2. & disp. 4. q. etiam 2.

CERTAMEN III.

Ex Anselmo, & ratione eadem veritas stabilitur.

Cæterum pro hac veritate apertissimum omnium Patrum fuit Anselmus de process. Spirit. S. ca. circa med. sic effatus. Hæc itaque sola causa pluralitatis est in Deo, ut Pater, & Filius, & Spiritus S. dici non possint de inuicem, sed alij sint ab inuicem: quia gradibus duobus modis (nascendo scilicet, & procedendo) est Deus de Deo. Et post pauca: Ipsa diuersitate natiuitatis, & processionis referuntur ad inuicem, ut diuersi, & alij ab inuicem. Ex quibus sic arguo. Natiuitas, vel fundamentalis (in mea sententia) vel formalis (in aliorum opinione) ac processio, seu spiratio altervtro modo sumpta sunt constitutiva essentialia formalia Filij, ac Spiritus Sancti in esse personali vniuersiusque: atqui hæc ipsæ sunt formalia distinctiua per Anselmum, atque rationes formales solæ distinguendi Personas Filij, & Spiritus S. ergo per Anselmum iisdem formaliter, quibus formaliter constituuntur distinguuntur personæ in diuinis. Respondet Ruiz d. 68. sectione 6. loqui Anselm. ex sententia Græcorum, quibus processio Spiritus S. à Filio nondum explorata erat, & ex qua præcipuè distinctionis rationem volebat assignare toto capite 1. & 2. in cuius fine habet: Filius (ut interim aliam causam dicam: quoniam non constat, quod Spiritus S. de illo sit, & procedat) ideo non est Spiritus S. nec Spiritus S. Filius: quia Filius nascendo habet esse de Patre; Spiritus S. verò non nascendo, sed procedendo. Qua ratione distinctionis iterum adhibita capite 3. subdit: Cum autem apparebit, quia Spiritus S. est de Filio, tunc quoque palam erit, quia propter hoc nequit esse Filius Spiritus S. Verum cum dicit aliam causam, quam processionis, à Filio dare ad distinctionem, nempe

Y 3 natiuitatem,

natiuitatem, & processionem veram putat, quam dat, quin non aliam putat, rationem formalem distinguendi Spiritum S. à Filio, sed aliud eiusdem distinctionis formalis argumentum clarius, vt ostendunt verba illa: *Tunc quoque palam erit, quia propter hoc.*

2. Vt autem constet quam ex propria sententia loquitur, audiatur sic loquens cap. 4. longè à med. *Ideo cum nascitur vnus non potest cum eo nasci ille, qui per hoc est alius ab eo, quia non similiter nascitur, sed procedit: & cum vnus procedit, nequit ille simul procedere, qui non similiter procedit sed nascitur. Et ideo non habet vnitas illa vim consequentiae, quia pluralitas obuiat, quae ex natiuitate nascitur, & processione. Et si per aliud non essent plures Filius, & Spiritus S. per hoc solum essent diuersi. Nec dubium, quin ex propria sententia loqueretur Pater, qui ex Latinis est, quorum plures recitati cert. 1. n. 3. licet processionem Spiritus S. à Filio semper tenuerint, tamen per natiuitatem, & processionem eos distinguere expressè docuerunt. Ratio autem est: quia in eorum Patrum, ac vera sententia principij spiritali, seu spirationis ratio constitutiuis Patris, & Filij in esse singularium personarum nihil formaliter superaddit: ac proinde in sic praecise constitutis oppositio principij, & principiatum cum Spiritu S. in vtroque est, & in Spiritu S. cum vtroque vt cert. 4. patebit. Quo circa perperam Carthusian. in 1. d. 11. q. 2. Vasq. d. 147. cap. 4. post med. Soar. 10. de Trinit. cap. 2. n. 3. & 7. existimant Anselmum Paternitatem, & Filiationem disparate se omnino habentibus. d. Spiritum Sanctum distinxisse ab eo Patrem, & Filium. Id quod certam. 4. in Scotistis, & alijs grauius reprehendemus.*

3. Rationem verò conclusionis euidentem dedit Scotus citatus, quam sic efformo. Quidquid rem in esse sibi proprio constituit, eam diuidit ab omni alio, in quo re ipsa non est tale esse: atqui proprietates personalis constitutens personas illas constituit in suo esse personali proprio, & singulari personae huius: ergo eam diuidit ab omni alia, in qua non est illud ipsum esse singulare & proprium huius personae. Ergo per id, quo formaliter constituitur, & distinguuntur personae. Maior, & per se nota videtur, & probatur vterius: quia per id vnum realiter ab alio differt, per quod formaliter repugnat esse realiter illud aliud: sed per id, per quod in esse proprio reali vnumquodque constituitur repugnat esse aliud, quod re ipsa non habet tale esse: ergo per id formale, per quod vnum in suo esse reali constituitur per illud ipsum formale realiter ab alio distinguitur, in quo illud esse realiter non est. Minor primi syllogismi certa, etiam apud aduersarios est. Secundi syllogismi minor probatur: implicat rem, quae talem esse id, quod re tale non est: ergo per id, quo constituitur in esse talis distinguitur realiter ab eo, quod tale non est. Confirmatur primò. Id quod intrinsecè constituitur non aliud realiter, realiter distinguitur ab illo. Sed, per quod constituitur vnum singulare reale, constituitur non aliud singulare reale: ergo per quod constituitur vnum singulare reale realiter distinguitur ab alio singulari reali. Confirmatur secundo. Implicat aliquid realiter esse in vno, & non in alio, ac non distingui realiter ab eo, in quo non est: sed implicat personalitatem constituere vnam personam: ac non ita esse in illa, vt non sit in alia: ergo implicat constituere, quin eam distinguat ab alijs: ergo, quibus constituantur necessariò distinguuntur personae. Thomistarum Vasq. & Alarcon solutiones impugnaui cert. 1.

4. Acutius dicere possent: personalitates in statu obiectiuo, & formali solum formaliter distinguere personas, vt autem realiter distinguant in statu realitatis esse debere: in quo, quidquid est in persona Patris, idem est, ac quidquid in persona Filij, est etiam idem: ac proinde Paternitas, & Filiatio realiter materialiter distinguunt eos ab Spiritu Sancto; at spiratio identificata realiter formaliter: hoc est: est ratio realis formalis, cur tota personalitas alterutrius distinguatur, ac distinguat realiter ab Spiritu S. Contra verò spiratio realiter materialiter Patrem à Filio distinguit, realiter verò formaliter Paternitas, & Filiatio. Ceterum, cum Doctores, quos

impugnamus, Patrem in esse personae singularis, adaequatè constituunt, ac realiter distinguunt à Filio, adaequatè etiam, in esse huius personae singularis constituto per formalitatem praecedentem in vtroque ante spirationis actiuae formalitatem vel principium, ea vt solutione non possunt. Solum posset ea vt Aureol. qui Paternitatem, & Filiationem inadaequatè solum constituit Patrem, & Filium ait, quovisque spiratione tanquam partiali substantia vterque adaequatè constituitur vt aiebat in 1. d. 17. p. 1. articulo 34. sed haec doctrina est contra Patres, qui paternitate, & Filiatione, vt adaequatè Patrem, & Filium in suo esse personali vnumquemque constituit, ita & adaequatè distinguunt. Secundo substantiis partialibus locus, neque in creatis est; iuxta dicta d. 1. proemiali, ne dum in diuinis, vbi formalitas quaevis è suo conceptu, non solum completa, sed infinita per negationem termini extrinseci esse debet. Tertio cum spiratio communis hic admittatur Patri, & Filio locus dabitur substantiae diuinae partiali communi personis duabus, quod aequè temerè admittetur, atque substantiae communis tribus, de qua egimus d. 7. q. 1. cert. 1. Et quidem doctrina solutionis non pugnat cum hac conclusione de distinctione personarum per ea, per quae constituuntur, vt patet: sed neque solida est. Nam, per quantumque formalitatem, siue priorem, siue posteriorem constituuntur personae in se, per rationem constituuntur: & tamen realiter per eandem formaliter distingui certum est: quod nisi in diuinis locum non habet; cum in reliquis nihil sit pluribus realiter distinctis commune realiter, sicut est in diuinis.

CERTAMEN IV.

Difficultatis praecipua, imò vnica solutio, atque in Scotistas & Scolasticos alios animaduersio.

1. Quae contra conclusionem ab auctoritate obiecti poterant discerimus q. 1. cert. 4. vbi ostendimus Patres non posuisse relationes, vel relatiua pro distinctiuis personarum, sed pro argumento distinctionis, quam relatio quaevis in extremis supponit: ac proinde, licet personarum constitutio per absoluta sit ex q. 1. ac nunc per eadem eas formaliter realiter distingui, per quae formaliter constituuntur, asseramus: quare, & per absoluta formaliter distingui personas, nihil contra Patres docemus. Sed est tamen à ratione difficultas, quae aduersarios in tot inuia agebat: quia neque ratio prima, ac secunda personae, siue principij generatiui, & geniti, vel generabilis formaliter realiter opposita esse videtur spirato, seu Spiritui Sancto: ergo per eas nequit vterque ab Spiritu Sancto distingui realiter formaliter. Patet: quia in personis, in quibus relationis oppositio non est, non est distinctio: ergo per eas formalitates, per quas non resultat in Patre, & Filio relationis oppositio, siue relatiua oppositio cum Spiritu Sancto, non asfertur illis ratio formalis realis distinctionis vtriusque ab Spiritu S. ac proinde, nec sunt distinctiua formalia eorum ab Spiritu Sancto: atqui per eas rationes, per quas personae Patris, & Filij in suo esse personali constituuntur, non asfertur illis, vt dixi in antecedenti primo, relatiua oppositio cum Spiritu Sancto: ergo neque distinctio: ergo ea, quae personas Patris, & Filij formaliter constituunt illis non asferunt distinctionem ab Spiritu S. nec sunt eorum ab illo formalia distinctiua: ac proinde absolute, & vniuersaliter personae non distinguuntur formaliter realiter iisdem, quibus formaliter constituuntur contra id, quod defendimus: sed expectanda vterius est, iuxta aliquid ex modis impugnat cert. 1. ratio alia, qua formaliter principium spiratum sit vterque, ac cum Spiritu Sancto opponantur, per quam ab eo realiter formaliter distinguantur.

2. Haec difficultatis in re praesenti summa, ob quam

Doctores

Doctores impugnant cert. contra euidenciam Scoti rationem datam cert. 3. num. 3. in tot semitas difficiles abierunt. Scotus vero, & afflicta sui argumenta euidencia conuicti, ut huic difficultati occurrerent, per æque inuia fugerunt. Aiunt ergo Paternitatem, ac Filiationem, siue constitutiua formalia personæ Patris, & Filij non afferre illis oppositionem cum Spiritu S. Quare Patrem, & Filium sic constitutos disparate se habere cum Spiritu S. sine vlla reatiua oppositione cum illo: & tamen per eas distingui realiter formaliter ab Spiritu S. Patrem, & Filium, quia in re Scoti illis consentiunt male Caiet. n. & Vazquez supra: cum cert. 1. n. 1. & 2. negantium difficultatibus cedant, atque hic rursus assumantium difficultatibus se imitant. Sed contra hanc disparatorum distinctionem in diuinis militant primò Patres omnes recitati q. 1. cert. 4. n. 2. afferentes in diuinis nullatenus esse distinctionem, nisi inter relate opposita, unde dignitas illa theologica manauit: *In diuinis non est distinctio nisi obicit relationis opposita.* Quo circa audiendus iterum est Anselm. recitatus cert. illo 4. n. 4. ex libr. de processione Spiritus S. cap. 2. post med. & cap. 5. hac ratione probans Spiritum Sanctum à Patre procedere. *Quia, si vterque, inquit, de nullo est, penitus inueniri valet in fide Christiana vnde sint adiuuicem alij, sed vnus, idemque Pater, & Spiritus, & vna persona.* ergo gratulandum his Scholasticis erit, quod aliam nouam viam nobis distinguendi personas per disparata aperuerint: & an succedendum, quod tam apertè à Patribus discedant, sequè Anselmo æstiment sapientiores?

3. Contra secundò à ratione S. Thom. 1. p. q. 36. art. 2. In diuinis relatio non distinguit realiter personas, nec se ipsam ab alia nisi ratione oppositionis; vt patet in relatione spirationis actiua, quæ, quia cum Paternitate, & Filiatione non opponitur cum eis identificatur: ergo si relatio Paternitatis, & Filiationis, siue constitutiua Patris, & Filij non opponitur cum spiratione passiuâ, siue cum Spiritu S. sed disparate se habent neque se ab spiratione passiuâ, neque Patris, & Filij personas ab Spiritu S. realiter distinguunt: ac proinde in idem ea omnia confluit contra fidem, & aduersariorum doctrinam. Dices spirationem actiuam non constituere personas illas re distinctas, neque ab earum relationibus realiter distingui: quia ipsi realiter identificatur. Quid ad solutionem hæcideo enim est idem realiter spiratio actiua cum paternitate, & Filiatione, quæ non opponitur cum illis: sin aliam cedo causam. Ergo ob eandem rationem idem erit tam ea, quam Paternitas & Filiatio, cum spiratione passiuâ, ac Pater & Filius cum Spiritu sancto. Respondet Faber supra cap. 4. n. 22. ex Scoto in 1. d. 2. & d. 10. q. 2. non repugnare duplicem operationem eidem principio, scilicet duplicem passionem termino, quia per vnâ sufficienter producit. Solutio insufficientis, quia, & si valeret pro filio valeret, in quo solo duplex passio concurreret, si Filio, & spiratio passiuâ identificentur. Sed pro nullo valet. Primò: quia duplex passio adæquata plurium opinionone non pugnat: imò, si respectu eiusdem effectus repugnat in termino, nequit non repugnare respectu illius in principio duplex actio: ergo nullum est discrimen. Secundò saltem inadæquata passio duplex in termino non repugnat: in casu autem Filij inadæquate spiratione, & generatione passiuâ fieret. Tertio, quia, licet in extrinsecis passionibus creatis adæquatis aliquid sit discriminis ab actionibus; aut in increatis, identificantur, vel cum termino, vel cum producente tam actio, quam passio, vel in vulgari, etiam Scotica, opinione actio cum producente, quare probabiliter, & passio, ac passio cum persona procedente, quare, & actio, quæ nec ratione distinguuntur formaliter nulla est disparitas.

4. Confirmo & vrgeo, sed specialiter contra Caiet. & Vazq. qui alibi semper relationes, & personas ratione oppositionis solùm multiplicant. Non minus identificatur essentia cum spiratione actiua, quam Paternitas, & Filiatio: sed non obstante identitate essentia cum illa identificatur eadem essentia cum spiratione passiuâ, & Spiritu S. ergo non obstante identitate Paternitatis, &

Filiationis cum spiratione actiua identificantur Paternitas & Filiatio cum spiratione passiuâ, ac Spiritu S. nisi oppositio obstat. Respondet Vazq. d. 147. cap. 3. negando consequentiam: quia essentia identificatur cum spiratione actiua, & commune quid, quod non obest, vt aliis identificetur; Paternitas autem, & Filiatio quæuis identificatur, vt peculiare quid, ac nequit identificari proinde cum termino opposito spirationis actiua. Petit solutio principium. Idem essentia identificatur, vt commune est, quia nulli opposita est: ac idem potest identificari cum aliis, licet cum opposito illorum identificetur: Sed paternitas, & Filiatio non opponuntur cum spiratione passiuâ per te: ergo poterunt identificari cum illa, & cum Spiritu S. licet cum opposito identificentur: ergo identificantur cum spiratione actiua, vt commune, atque, atque essentia. Nec refert ad fidem de communitate essentia, & peculiaritate paternitatis, & filiationis recurrere. Quia fides oppositione, ad peculiaritatem personalitatum, ac non oppositione ad communitatem essentia defenditur: quare ex negatione oppositionis personarum Patris, & Filij te ad errorem contra fidem deduco.

5. Nos ergo ne, dum euidenti Scoti rationi pro personarum reali formali distinctione per eam, per quæ formaliter constituuntur, merito cedimus, dogmatico illi principio de necessaria oppositione inter distincta in diuinis aduersum, ostendere debemus, quo pacto formalitates illæ absolute, quibus constitui personas omnes Trinitatis asserimus, in Patre, & Filio oppositionem producentis, & producti cum Spiritu S. afferant. Alioqui non per eadem realiter formaliter eos ab Spiritu S. distingui, quibus formaliter vterque in se constituuntur, difficultate proposita conuincemur. Id autem facile præstabitur ex dictis de constitutione potentia notionalis d. 4. q. 2. cert. 2. num. 3. 4. & 7. vbi diximus potentiam notionalem Patris constitui ex efficacia, siue energia essentia expedita ab identitate cum filio per primam sui differentiam in diuidualem vltimam, quasi physicam, quæ essentia agnoscitur improductè, atque est innascibilitatis conceptus, quia prima persona innascibilis, seu improductibilis resultat primò, atque principium, seu potentia generatiua formaliter opposita Filio, cuius personalitate pro posteriori originis producta, affixaque essentia eidem, quin aliud expectetur, intelligitur potentia spiratiua Spiritus sancti cum illo opposita indiuisibiliter in vtroque, à quibus esse suo personali oriri petit, ac distinguitur Spiritus S. vt oppositio formalis realis non sit cum quouis eorum seorsim, sed cum coniuncto ex vtroque, licet oppositio inchoatè cum quouis eorum sit, quare personalitas quæuis suo constituto, nempe personæ, quam constituit oppositionem aliqualem offert sufficientem, vt sine oppositione distinctio personarum in diuinis non sit. Hac ergo constitutione personarum, & potentia spiratiua, neque in partes subsistentiam diuinam Patris, vel Filij, cum Aureolo partimur; nec spiratores plures facimus; neque spirationem personis Patris, & Filij formaliter constitutis in esse personali ad oppositionem cum Spiritu sancto superaddimus; neque vtrumque ab illo sine oppositione realiter distinguimus: ac proinde sine vlla distincta vmbra fere vnice conclusionem nostram, ac euidenciam defendimus.

QVÆSTIO III.

An Spiritus sanctus distingueretur à Filio, & si non procederet ab illo?



TRIGIT iam pridem quæstionem Naz. illiusque semina posuerunt Patres, dum ea solum distingui in diuinis, quæ re latiuè opposita sunt, quasi ex vno ore, docuerunt. Expressius autem S. Thom. 1. p. q. 36. art. 2. dicens: *Si nulla ratione à Verbo procederet, non posset ab eo personaliter distingui.* Quoniam verò in quæstionibus de hypothese impossibili plures inutiles sunt: ex nimirum, in quibus termini hypothese se ipsos destruant. v. g. *Si homo non esset rationalis, vel non esset homo an discurreret.* Gotfredus quodlib. 7. q. 4. apud Scotum in 1. d. 11. q. 2. sub solutionis init. ex eis quæstionem hanc esse censebat, ac solutionis incapacem. Canara. p. q. 36. art. 2. p. 2. inutilem: id quod sensibus pluribus quæstionis huius ab Scholasticis excogitatis verum proculdubio habet: quare non minor quæstionis huius labor erit vtilem eius sensum statuere, quam veram illius decisionem in nostris principiis de constitutione personarum, ac distinctione per absoluta, monstrare. In quibus Theologi plures aberrarunt à vero.

CERTAMEN I.

Vtilis quæstionis sensus reiectis inutilibus statuitur.

1. **R**eg. in 1. d. 11. q. 1. art. 1. Albiz. d. 9. de Trinit. sect. 6. Valentia d. 2. q. 10. punct. 3. probatione 2. censent in Hypothese, nec Spiritum S. nec Filium, qui modò sunt existentes supponi; alioqui, cum alter essentia, ac existentia sua spiratiuum principium sit, alter verò terminus spiratus, in terminis hypothese erit implicatio, ac quæstio inutilis. Is enim sensus erit. Si Spiritus sanctus procederet, ac non procederet à Filio &c. At verò, si Spiritus sancti, qui modò est, existentia non supponatur, cum sublata processionè à Filio Spiritus S. auferatur, qui essentialiter à Filio pender, sola essentia maneret cum negatione personalitatis Spiritus S. (quod totum in Filio est.) Manifestè inferret non distinguendum Spiritum S. à Filio. Sed certè, cum hypothese hæc contra Græcos ponatur negantes processionem spiritus S. qui modò est, à Filio. Sic explicata nihil probat. Negarent enim illi hunc numero Spiritum S. qui modò est, non existere si non procederet à Filio. Id autem male probaretur ex essentiali dependentia à Filio, quæ deficeret. Ea quippe est intentum contra Græcos probandum, non medium, nisi idem per idem vitiosè probari hi Auctores velint.

2. Petrus Hurtado. manuscripto de Trinit. quem alij sequuntur Recentiores supponi ait Spiritum S. qui modò est, existentem, ac per accidens à Filio non procedere. Item supponi in Filio spirandi potentiam: atque sic accepta hypothese distinguendum Spiritum S. à Filio, licet ab illo non procedat. Pessimus omnium sensus: tum, quia supponit contra Græcos potentiam spirandi in Filio, quod erat probandum, & in quo necessarid Spiritus S. processio actualis à Filio continetur: cum operationes Dei ad intra necessarias esse Græci non dubitarent: quare malè supponitur in sic accepta hypothese totum quod probandum contra illos erat. Deinde, licet bene inferat distinctionem Spiritus S. à Filio ex præcisa huius potentia spiratiua, tamen argumentum

contra Græcos reddit Hurtado prorsus inutile, cum ait distinguendum in sic accepta hypothese Spiritum S. à Filio, & si non procedat ab illo, contra omnium Patrum, ac ferè omnium Scholasticorum sensum.

3. Soar. 10. de Trinit. cap. 2. (quem sequuntur Arrubal. d. 131. cap. 2. n. 13. Zuniga d. 11. dub. 7. m. 1. Luis Torres d. 20. dub. 3. ac Recentiores Complutenses) censet in hypothese supponi Filium, ac Spiritum S. fictos: quia Spiritus non procedens, ac Filius eum non producens chimerici sunt: alter verò producens, atque alter ab eo procedens, quo solummodo ficti non sunt, nequeunt in hypothese poni, ne supponatur probandum, atque pugnet cum extrema hypothese parte: nimirum *non procederet à Filio.* Si autem in fictis his Filio, & Spiritu S. probatur indistinctio, & identitas ex non processione huius ab illo, in veris, ac non fictis, qui in omnibus præter processionem, de qua disputatur, conueniunt, identitas, & indistinctio personalis rectè contra Græcos probatur. Displicet sensus primò: quia cum Græci de Filio, & Spiritu S. qui nunc sunt, quippe ex fide distinguuntur, erat quæstio, ac in eis Græci coguntur ad contradictionem indistinctiois admittendam ex negatione processionis cum distinctione, quam admittebant; in fictis autem illis vnde supponebant distinctionem, vt ad contradictionem absurdè cogentur ex processionis negatione. Tertid denique in fictis, ac chimericis distinctio non ex processione, sed ex intellectu fingentis libito foret: quare negata processione nullatenus cogentur Græci ad fatendam eorum identitatem.

4. Verus igitur, atque vilis hypothese sensus est, quem dedit Vazq. 1. p. d. 147. cap. 1. num. 2. & esp. 7. n. 35. nimirum supponi Filium, & Spiritum S. veros, ac reales, qui modò sunt: non tamen secundum omnia, quæ realiter habent, sed abstrahendo præcisè à processione vnus ab alio, & ab omnibus aliis, quæ illam consequuntur, ne, si cum ea supponatur, & supponatur probandum, & implicet hypothese in terminis: vel, si sine ea negatiue ponatur, chimerici Filius, & Spiritus sancti sint. Supponuntur ergo existentes, distincti, atque Spiritus à Patre procedens, vt ex fide, & Patribus constabat ante eam quæstionem, & que verè in vtroque re ipsa erant; non autem, vt erant identificata in Filio cum potentia spiratiua, atque in Spiritu S. cum passiva spiratione, vt communiter volunt Doctores; sed ab ea identitate abstrahendo, in quo formalitibus his, nil intrinsecum fictum intercedit, vt putabat Alateon d. 9. capite 3. mala fide propterea ab hoc sensu Vazquezius diuertens. Sicut ergo, licet Deus non immensus, ac non iustus re ipsa repugnet, vt inueniamus an esse in omni loco ratione iustitie, an immensitatis sitrogamus de Deo, qui nunc est, non autem de ficto an Deus iustus si non esset immensus esset in omni loco: vbi ex parte Dei non negatur immensitas, que inquitur. Ita in casu nostro.

CERTAMEN II.

Si à Filio non procederet, non distingueretur Spiritus sanctus ab illo.

1. **D**istinguendum Spiritum S. à Filio, & si ab eo non procederet, docet Scotus cum suis, & quotquot noscum formaliter per absoluta constituit personas in suo singulari esse personali docent, ac simul per ea distingui, per quæ formaliter constituuntur, quos q. 1. & 2. citauimus: in idque vehementer inclinat Granados d. 7. Nec mirum, eis enim conclusionibus statutis agrè oppositum in communibus principiis de constitutione potentie notionalis, imò, ne agrè quidem, oppositum defendetur. In nostris verò non defendetur solum, sed & probabitur, vt ex statim dicendis apparebit. Nostram

Nostram autem conclusionem tradunt S. Thom. proximè, & contra Gentes capite 24. ubi Ferrara de potentia, quæstione 10. art. 5. opusc. contra errores Græcor. cap. 32. §. 3. & 31. Alexand. 1. p. quæstione 43. m. 4. Albert. quæst. 31. m. 3. S. Bonau. in 1. d. ii. quæst. 1. Dur. q. 2. Eged. art. 1. quæstione 3. Heruzus quæstione 1. Argent. quæst. 1. art. 2. Capreol. q. 1. sub init. Marfil. quæst. 15. art. 3. ad 3. Caier. 1. p. q. 36. art. 2. ubi Canariens. & Molin. Valent. de Trinit. q. 10. punct. 3. Vazq. proximè c. 4. Soar. proximè, Bellatmin. tom. 1. lib. 2. de Christo cap. 26. Ricard. in 1. d. ii. art. vnic. q. 2. In hoc magis inclinatur Arrubal. Torres, Alarcon, Zuniga ubi proximè, Ruiz d. 68. sect. 8. Marciatus d. 71. Martin Perez d. 16. sect. 2.

2. Probata satis est conclusio quæst. 1. & 2. summam ibi dicta sic breui colligo. In diuinis distinctio personarum realis non est, ubi non est oppositio relatiua principij, & principiati: at qui si Spiritus S. non procederet à Filio, non esset inter eos eiuſmodi oppositio, vt per se patet: ergo neque esset inter eos distinctio realis, sed identitatis. Maior probata est quæstione 1. cert. 4. num. 2. & 4. Recolenda iterum sunt, quæ eo loco ex Anselmo recitabamus, repetitumque quæstione 2. cert. 4. n. 2. Sed in casu præſenti recitandus est Nyssen. lib. ab Ablabium, quod non tres Dij circa fin. *Discerni alterum ab altero deprehendimus: nimirum: eo, quod credimus aliud quidem causam esse, scilicet Patrem, aliud ex causa, (nempe Filium) & ex eo, quod ex causa est. Nimirum ex Filio, & Spiritum S. Atque ex eodem Nysseni libro hæc refert Beſſarion sect. 25. Concilij Florent. orat. pro vnione capite 6. col. 6. post med. *Eo distinguitur, inquit Nyſſenus, Spiritus à Filio, quia per ipsum est, quasi diceret: quod cum ambo à primo sint, non sufficienter distinguuntur, nisi alter per alterum esset. Huc etiam facit ratio S. Thom. quam perſequemur quæstione 2. cert. 4. n. 3. & 4.**

3. Ab auctoritate solum poterat nobis apparere opponi Anselmum recitatus quæstione 2. certamine 3. numero 1. & 2. eius autem sensum dedimus sub numeri 3. finem. A ratione argues. Si Spiritus S. non procederet à Patre, sed à Filio, distingueretur realiter, nihilominus ab illo: ergo si non procederet à Filio, sed à Patre, distingueretur à Filio. Admissio antecedenti negatur consequentia à Gaspere Hurtado d. 8. diff. 3. vers. fin. S. & ad confirmationem. ac vulgò à Doctoribus: quia, si procederet à Filio, eo ipso procederet à Patre mediata, & consequentis casus, quo ad hoc, quare nisi adhibeatur particula *immediatè* ad illud non procederet, à Patre, nequit absolute antecedens concedi, quin admittatur consequentia: quia nulla est disparitas. Absolute ergo negandum est antecedens: quia in terminis implicat. Negat enim omnem processionem etiam mediatam à Patre, quam simul concedit in sequentibus, & procederet à Filio, in quo mediata processio à Patre continetur. Valentia parui ad solutionem facit adhiberi particulam *immediatè*, vt non concedatur antecedens: quia mediata processio non affert distinctionem producenti, & procedenti: quia oppositio principij, & principiati eo gradu, quo est, infert in diuinis distinctionem: quare mediata solum inferre potest mediatam distinctionem, ac per aliud, quæ implicat non minus, quam in suo esse per aliud à se constitui. Omnia enim per suum esse intrinsecum distingui ab aliis æquè, atque constitui debent. Peccat discursus. Quia oppositio, & processione formaliter distingui opposita putat in diuinis, cum tamen solum arguitur eam in illis inducant, sicut in creatis: illa enim est in intrinseco entitatum, que non minus intrinseca arguitur in oppositis remotè, & mediata, quam in oppositis immediatè. Siquidem non minus implicat idem productiuum mediata sui ipsius esse, quam immediatè.

4. Sed instabis. Et si Spiritus sanctus nullatenus, mediata adhuc, procederet à Patre, sed à solo Filio, distingueretur realiter ab illo: ergo, & à Filio, & si ab eo non pro-

cederet. Antecedens, in quo est tota difficultas, probatur, quia, etsi non procederet à Patre Spiritus sanctus adhuc Pater esset realiter formaliter innascibilis, qui conceptus, & absolutus per nos est, & in Spiritu à solo Filio omnino procedente esset impossibilis. Negatur antecedens nihilominus. Ad cuius probationem negatur in eo casu Patrem realiter formaliter innascibilem fore, licet enim per nos innascibilitatis conceptus formaliter absolutus sit, tamen in statu realitatis & identitatis, in quo solum est locus distinctioni reali, adiunctus essentia identitè principium generatiuum constituit, atque mediata spiritiuum, & immediatè etiam, quod satis est, vt realiter formaliter sumptum innascibile sit, principium Spiritus sancti. Imò ipsa formalis innascibilitas, quæ est tota formalis ratio absoluta constitutiva, ac distinctiva formaliter Patris, toti coniuncto Patri, quem constituit oppositionem principij, & principiati affert cum precedentibus duobus ex sola identitate reali cum essentia, vt fufius docebamus q. 2. cert. 4. n. 5. quin opus sit, alia formalitas accedat, sed eadem singularitas prima, quæ formaliter est personalitas, est innascibilitas, & cum essentia principium indiuisibile constituit, vt respectu huius constituiti principij adæquata forma non sit, respectu autem concreti innascibile sit tota, & adæquata forma.

5. Reliqua, quæ Scotiæ opponunt, leuia sunt. Esse enim genitum, & procedere sunt opposita, sive, vt proprius loquar, genita persona, & spirata, qua tales, non solum realiter (quod satis erat ad hanc nostram conclusionem) sed, & formaliter. Nam eo Filius Filius, ac genitus intrinsecè est, ac Spiritus S. non est Filius, sed spiratus, ac procedens, quod ille foecundus ad intra est æquè, respectu Spiritus S. atque Pater, hic vero foecundus non est: in ratione vero foecundi ad intra Filij est relatio, & oppositio principij, & principiati ad Spiritum S. vt videant Scotiæ, quam fallè assumant contra nos genitum esse, & procedere non esse opposita: cum sint opposita adhuc formaliter. Alia his adhuc leuiora consulo prætereos, quiuis enim facili negotio, ex his quæ hæctenus dicta à nobis hac. d. sunt, ea dissoluit.

DISPUTATIO X.

De propriis, & appropriatis singularum Personarum.

DE FINITIS hæctenus quæ personis, cum in esse naturæ, tum in ratione Personæ cuiusque, omnibus conueniant, & singularis, iam de singularibus cuiusque proprietatibus sigillatim disputandum statuendumque erit: vt ad Disputationem vndecimam de diuinis notionibus sternatur via. Licet autem ad id de proprietatibus personarum agere satis hic foret: nominis tamen assinitæ de appropriatis cuique personæ sub Disputationis finem agemus: quia, etsi attributa communia re vera sint, ob peculiare, ac proprium personæ, cui speciatim attribuitur, vni vnum, alteri vero aliud, accommodatur.

QVÆSTIO I.

De Patris proprietatibus aliis à iam explicatis.

PATRIS proprietates plures in Controuersia decursu explicatæ sunt. An scilicet sit causa, Auctor, principiumque Filij: de quo d. 2. An verè Pater ipse: ibid. & d. 3. q. 2. An sit verè prior Filio ibid. & fufius propria sede: nempe d. 12. de comparatione personarum. Quare hic duæ examinandæ restant Patris proprietates: scilicet, innascibilitas, & ratio fontalis originis.

•CERT.